EXERCITATIO
DE
VERA
Jurisprudentia
QUAM
Deo Ter-Optimo Maximo Adjuvante
PRÆSIDE
Dn. BERNHARDO
Schultzen
J. U. Doctore & Profeſſore Publico
Præceptore ſuo pl. obſervando
Ex ejusdem præcipuè Diſcurſibus deſumptam
Publicè defendere conabitur
JOHAN-LUDOVICUS SCHEFFER
IN AUDITORIO JCTORUM
Ad diem   Ianuarii horis locoque conſuetis

RINTELII, ex Chalcographéo Viduæ Lucianæ
cIↃ IↃc LIX.

VIRIS

Nobiliſsimis, Ampliſsimis, Conſultiſsimis, Clariſsimo,

DN. DAVIDI LUDOVICO SCHEFFERO

Sereniſsimi & Celſiſſimi Heſſorum Principis GUILIELMI VI. Conſiſtorii Eccleſiaſtici, & inferioris Haſsiæ Dicaſterii Conſiliario,

VT ET

DN. SEBASTIANO REINHARDO SCHEFFERO

itidem Sereniſſimi & Celſiſsimi Heſſorum Principis Superioris Dicaſterij Conſiliario, &c.

NEC NON

DN. REINHARDO KLEIN

Præfecto Haſſo-Schaumburgico digniſſimo

PATRI, PATRVO & AFFINI, omni obſequiorum cultu proſequendis

Has ſtudiorum ſuorum primitias dicat, dedicat

Johannes Ludovicus Schefferus

A. & R.

Diſputationis

De Vera Jurisprudentia

Thesis I.

ACturi de vera JURISPRUDENTIA quædam principia præmittemus, ex quibus illa deduci poteſt, abſque veris enim & genuinis principiis nil quicquam certò ſciri poteſt, Ariſt. *lib.1.poſt. Analyt.* Ac initio ſupponendum eſt, hominem natura ducente ferri ad colendam aliquam ſocietatem, homo enim naſcitur nudus, omnique ferè ope & auxilio deſtitutus, vid. Senecam *de beneficiis lib.4.cap.18.* Inter quos verò natura conſtituit indigentiam, inter eos haud dubio vult coli ſocietatem, per quam illa inopia ſuppletur, Ariſt. *lib.1.polit.cap.2.* Societas verò juxta Ariſt. *lib.1.polit.cap.1.* alia eſt ſimplex, alia mixta: illa, ut conjugalis, paterna, herilis; ex his mixta, domus, vicus & civitas: ex qua verò ſocietate hæc indigentia ſuppleri poſſit, non eſt adeò evidens. Et licet primæ illæ & ſimplices ſocietates in eum finem à natura ſint inſtitutæ, ut beneficio illarum, quibus homo indiget, acquirantur, illæ tamen ſolæ

non ſufficiunt. Priſcis quidem temporibus ad civiliter beatè vivendum, non adeò ampla ſocietas requirebatur, creſcente verò hominum numero & malitia, ampliori ſocietate opus fuit, extra quam homo ſe & ſua difficulter tueri potuit: Unde homines in civitatem coierunt, ut illam indigentiam à natura introductam ſupplerent, Deus ipſe hoc per naturam loquitur, cum ea cuncta, quibus vita indiget, omnibus locis ſuppeditari à natura non vult, artibus etiam aliis alias gentes dat antecellere. Quo iſta? Niſi quod voluit mutua egeſtate & copia humanas foveri amicitias, ne ſinguli ſe putantes ſibi ipſis ſufficere, hoc ipſo redderentur inſociabiles, Grot. *de mari libero, cap.*1. Nec obſtat, ſi quis dicat, quod magnæ civitates omnia in ſe complecti videantur, quæ ad vitam rectè tuendam ſunt neceſſaria, unde non videntur indigere extra ſe mutuo auxilio & communicatione, quia nulla tam valida civitas, quæ non aliquando aliorum extra ſe ope indigere poſſit, vel ad commercia, vel ad arcendas multarum cæterarum gentium junctas in ſe vires; Quare etiam à potentiſſimis populis & Regibus federa appeti videmus, Grot. *de I.B. & P. in prolegom.* Suarez *de legib.lib.*2.*cap.*19.*n.*9. Hunc affectum ſocialem omnium rerum conditor & naturæ humanæ parens non parum in nobis etiam excitavit eo, quòd naturam humanam, non uti cætera animantia, in ſpecies diverſas variaque diſcrimina ſegregaverit, ſed unius eſſe generis, una etiam appellatione voluerit contineri, dederitque inſuper originem eandem, ſimilem membrorum compagem, vultus inter ſe obverſos, ſermonem quoque & alia communicandi inſtrumenta, ut intelligeremus, omnes inter ſe ſocietatem eſſe & cognationem, cum quibus eleganter conveniunt, quæ dixit Florentinus *in l.*3.*ff. de*

juſt.

juſt.& jur. Cognationem inter nos à natura conſtitutam, cui conſequens ſit, hominem homini inſidiari nefas eſſe.

II.

Sicuti verò omnis actio fit propter aliquem finem; ita etiam civilis ſocietas boni alicujus vel finis cauſa initur Ariſt. *lib.1.Eud.cap.2.* qui finis non eſt vita ſimpliciter, ſed quæ conſiſtit in actione virtutis, ex quo conſequitur, quod omnes cives virtutibus operam dare, iisque inſtructi eſſe debeant, quem finem ſine legibus & judiciis civilis ſocietas conſequi nequit, ponamus enim, nullas eſſe leges, quæ vitia ac ſcelera prohibeant, pravisque effectibus hominum, frenum injiciant, quanta foret rerum omnium confuſio? peccandi licentia? & delictorum colluvies? ſi enim legibus latis homines intra cancellos honeſtatis moralis vix coerceri poſſunt, quid fiet remotis illis repagulis, ſi quilibet abſque metu pœnæ ſuæ cupidini vivere concederetur? Ex quibus firmiter arguere poſſumus, nullam civitatem ſine legibus conſiſtere poſſe, legumque autoritatem fundamentum Reipubl. eſſe, quibus convulſis & ipſam everti neceſſum eſſe, quam ſententiam Ariſtoteles (de quo præclarè Averroes *in proœm. phyſ.* ita loquitur: *Ille regula & exemplar eſt, quod natura invenit, ad demonſtrandam ultimam perfectionem humanam, & lib.3. de Anima, eſt creatus & datus nobis divinâ providentiâ, ut ſciremus, quicquid poſſit ſciri*) ſolidiſſimis rationibus demonſtrat, *lib.10.Eth.cap.ult.& lib.5.cap.3.5.& 1.Eth.c.10.*

III.

In civili verò ſocietate, licet ſint certa quædam jura conſtituta & leges, nullus tamen harum eſt uſus, niſi accedat interpretatio quædam dextra & ſolida: Quæ enim leges naturâ ſuâ habent aliquam obſcuritatem, illæ interpretatione indigent: Atqui omnes leges poſitivæ naturâ ſua habent aliquam obſcuritatem. E. Minor probatur; Quæ leges feruntur in genere, & de actionibus humanis, quas in actu exercito leviſſima circumſtantia immutat, illæ naturâ ſuâ habent aliquam obſcuritatem. Atqui omnes leges poſitivæ ita feruntur in genere, & de actionibus humanis, Ariſt. *lib. 5. Eth. ad Nicom. c. 14.* E. adde *l. 3. ff. de legibus.* Idem notavit Majmonides Doctore dubitantium, III. 35. quem refert Grotius *in florum ſparſion. ad d. l. 3.* eleganter Franzkius *in comment. ad ff. tit. de O. I. num. 15.* *Cæterum cum & plura negotia, quàm quæ legibus comprehendi poſsint, & in ſpecie leges hæ breviter & conciſè conſcriptæ eſſent, ut alias naturaliter evenire ſolet, quod unusquisque abundet ſuo ſenſu & legum verba in ſuam cauſam trahat, opus fuit aliqua interpretatione, & quidem non cujusque, ſed eorum, quibus experientia & longus rerum uſus prudentiam & autoritatem comparaſſet, qui vel mentem legis inquirerent, &c.* Et hæc ſententia ex primis principiis Rerum Civilium à Philoſopho Ariſt. non tantùm eſt oſtenſa, verum etiam probatur exemplo omnium ferè cultiorum Gentium & Populorum; Nolo hic excurrere in inſtituta plerarumque Gentium, facili enim negotio oſtendere

dere poſſem, ab ipſis incunabilis orbis fuiſſe Juriſprudentiam, imò in ipſo Paradiſo ortam: Quamprimum enim cœpit aliqua lex poſitiva promulgari, illico etiam initium cœpit Juriſprudentia: Rectè enim Janus Huartus Medicus Regis Hiſp. *in libro de Scrutinio Ingeniorum pag.* 33. ita loquitur: *Statim atque Adam peccaverat, principium practicum ſumpſit initium, omnesque artes & ſcientiæ. Quippe ſingulis illis homo indigebat, quibus miſerias atque neceſſitates ſublevaret, omnium prima, quæ terreſtri Paradiſo initium habuit, fuit Juriſprudentia, in qua fundatus fuit proceſſus, eodem illo ordine judiciali, qui etiam nunc in viridi obſervantia eſt, ita ut pars citaretur, & proponeretur actio, quam ſequebatur reſponſio rei, ac demum ſententia judicis ac condemnatio.* Ab eo tempore omnes populi moratiores uſi fuerunt Juriſprudentibus: Si enim omnes gentes moratiores certa quædam & pecularia jura & leges habuerunt, ſequitur, quod apud omnes Populos & Gentes neceſſaria fuit Juriſprudentia: Exemplum elegans præbet Reſpublica Romana, à cujus primis incunabilis vel certè à tempore legum duodecim Tabularum continua ſerie extitere Viri Clariſſimi, qui ſcientiam & artem leges interpretandi fuere profeſſi, Pomponius JCtus *in l.* 2. §. 4. 5. 6. *ff. de Orig. jur.* qui eadem cum Ariſt. *lib.* 5. *Ethic. d. cap.* 14. tradit. Eſt verò Juriſprudentia habitus practicus, quo jura & leges ad actiones, ſive negotia civium convenienter applicantur, & rectè definivit Ulpian. *in l.* 10 §. 2. *de juſt. & jur. Quod ſit divinarum atque humanarum rerum notitia, juſti atqui injuſti ſcientia,* & Celſus *in l.* 1. *ff. eod.* quod

quod ſit ars æqui & boni. Sumimus verò vocabulum habitus eo ſenſu, quo ſcientiæ & artes dicuntur habitus, ſive ſint tales propriè dicti, ſive ſint verius ſaltem ſpecies intellectui noſtro impreſſæ, ut nonnulli diſputant, vid. Mendozam *diſp. 16. de Anima, ſect.* 2. Habitus verò intellectuales alii ſunt theoretici, alii practici. Incidit hic illa difficultas: Qualis ſit habitus noſtra Juriſprudentia, An Theoreticus, an Practicus? Ubi notandum, diſtinctionem habituum à fine proximo, ad quem immediatè & naturâ ſuâ per ſe ordinantur, eſſe petendam. Omnis enim habitus mentis pro fine proximo habet actus elicitos in intellectu, qui vel ſunt nuda veritatis contemplatio, vel præter hanc etiam alicujus operationis directivi, præſcribentes quid agere conveniat, quomodo, vel quando. Hinc cujus habitus finis proximus eſt nuda veritatis contemplatio, ille eſt habitus Theoreticus: E contra verò, qui habitus pro fine proximo habet actus practicos, id eſt, qui vel actionem aliquam, vel aliquid circa actionem imperant ſeu præſcribunt, ille dicendus eſt Practicus habitus.

I V.

Ut verò dicatur habitus practicus non neceſſum eſt, ut omnes ejus actus ſint formaliter practici, & per ſe operationem aliquam dirigant, præſcribendo vel quid, quomodo vel quando agendum, ſed ſufficit, ſi actus ejus ſint tales præcipui, ad quos reliqui ultimò referuntur, ut patet ex Philoſ. Morali, quæ ſine dubio eſt habitus practicus, multi tamen dantur actus illius, qui nullam dirigunt operationem, quales ſunt, quibus enunciatur, quid ſit virtus, quid ſit actio virtutum, quid ſit vitium, licet ultimò ad operationem referantur. Sic enim nemo virtuoſè

virtuoſe agere poteſt, niſi ſciat quid ſit virtus, & actio virtutis, & quid ſit vitium. Hinc benè Ariſtoteles *II. Nic. II. non quid ſit virtus quærimus, ut ſciamus, ſed ut boni efficiamur*. His præmiſſis, ſtatuimus Juriſprudentiam eſſe habitum practicum hâc ratione: Cujus facultatis præcipui actus, ad quos reliqui omnes ultimo referuntur, ſunt formaliter practici, illa eſt habitus practicus. Atqui juriſprudentiæ præcipui actus ſunt tales. E. Minor inde conſtat: quamvis enim multi dentur actus in juriſprudentia, qui nullam dirigunt operationem, vel eam imperando, vel præſcribendo, quomodo, vel qualiter actio exerceri debeat, ut ſunt actus, quibus cognoſcitur, quid ſit Pactum, quid ſit Transactio, vel Conventio, negari tamen non poteſt, quòd hi actus ad operationem aliquam ultimo dirigantur, quia non ideò ſaltem JCtus noſcit, quid ſit Conventio vel Pactum, ut hoc ſciat tantùm, verùm etiam, ut illam veritatis cognitionem ad praxin & opus referat; vide ſis latè & eleganter Joachim. Hopper. *de vera Iuriſprudentia lib. 4. tit. 31.* Et hi actus quidem verè ſunt ſpeculativi, dici tamen poſſunt virtualiter practici: ſunt enim actus practici alii formaliter tales, alii virtualiter; illi dicuntur, qui imperant aliquam operationem, vel præſcribunt circumſtantias, & quomodo actio illa exerceri debeat: Hi, qui quidem ſunt in ſe merè ſpeculativi, referuntur tamen ultimò ad aliquam operationem. Quicunque verò actus in diſcurſu practico ad inferendam aliquam concluſionem practicam adhibentur, & cum principio practico conjunguntur, illi ſunt virtualiter practici. Atqui tales ſunt illi actus, quibus ſcimus, quid Conventio, quid Pactum, quid Transactio. E. illi dici poſſunt virtualiter practici. Sic etiam in Theologia, quæ eſt ſine dubio habitus practicus,

dantur actus, qui non ſunt formaliter practici, ut quibus cognoſcitur Myſterium Trinitatis & Incarnationis, quatenus verò ultimò ad operationem aliquam feruntur, dici poſſunt virtualiter practici, nam Theologus non ideò tantùm noſcit Deum unum eſſe in Eſſentia, Trinum in perſonis, ut ſaltem hoc ſciat, adeoque ut acquieſcat in nuda contemplatione ſubjecti; Verum ut Deum Unum in Eſſentia & Trinum in perſonis actu colat.

V.

Dicitur Juriſprudentia habitus practicus, quo res agendæ in vita civili diriguntur: ſpeciali verò nomine Prudentia, quæ juxta Ariſt. *lib.6.Eth.c.8.* dividi poteſt, ut alia dicatur privata, præſcribens ſingulis, ut privatis, quid ſit in vita privata agendum, quid omittendum, alia politica ſeu civilis, cuique præſcribens, quæ in publicum Bonum Reipublicæ & totius communitatis debent dirigi; quæ iterum diſtinguitur, in Legiſlatoriam ſeu Architectonicam. Deliberativam ſeu Conſultatoriam, Ariſt. *lib.1. Rhet.cap.4. & lib.4. Polit. cap.4.* & denique in Judiciariam. Legiſlatoria eſt, quâ omnia in Republica ad civilem beatitudinem dirigũtur, Deliberativa eſt, quâ conſultatur, an aliquid ſit utile Reipublicæ, an verò damnoſum. Judiciaria eſt, qua decernitur, quid ſit ſtatuendum de actionibus civium ſecundum jura & leges civitatis vel Reipubl. Hæc prudentia judiciaria duo habet membra; vel enim conſiſtit in jure reddendo ſecundum normam legum præſcriptarum, quod propriè competit Magiſtratui, quà tali; vel in legibus ſcriptis dextrè interpretandis, & ad ſingulares caſus & actiones civium accommodandis, quod proprium munus eſt JCti.

Rectè

Rectè monet Ariſt. *lib.* 4. *Polit. cap.* 4. quod hæ tres prudentiæ poſſint eſſe in uno eodemque ſubjecto; Sic fieri poteſt, ut in uno ſubjecto ſit architectonica prudentia, deliberativa, & judiciaria. Sicut idem poteſt eſſe Miles, Orator & Artifex; imò vix una pars prudentiæ ſine beneficio alterius rectè exerceri poteſt. Sicut verò lex in Republica alia eſt communis, conveniens cuilibet civili ſocietati; Alia propria, quæ ſaltem reſpicit certam aliquam Rempublicam, Hinc jurisprudentia dici poteſt alia univerſalis, quæ poſt Architectonicam ſeu Legumlatricem proximè occupatur circa jus univerſum, ſive id ſit de negotijs publicis, ſeu privatis: Alia verò jurisprudentia particularis, quæ circa unius alicujus populi jura legesque ex, arte generali deductas, verſatur. Vid. Joachim. Hopper. *de vera Iurisprudentia lib.*1. *tit.* 1. qualis eſt jurisprudentia Hebræorum, vel Romanorum, quæ tanquam ſpecies à genere à priori differt, participat tamen multa communia ratione generis & ſimilium. Hæc verò non abſolvitur nuda peritia legum poſitivarum, ſine aptitudine leges ad actus civium applicandi, verùm etiam comprehendit, ut JCtus ſciat: An leges poſitivæ latæ ſint Reipublicæ utiles: An ſint rogandæ, an abrogandæ: quale judicium à JCto fieri nequit, niſi primò noſcat, quid ſit conveniens ſimpliciter naturæ humanæ & cuilibet Reipublicæ, deinde illius populi & Reipubl. in qua vivit, indolem & inſtituta. Nam uti Medicus, judicare de ſtatu alicujus ægroti non poteſt, niſi teneat ipſam artem medicam, & deinde ægroti ſui conſtitutionem: ita etiam JCtus non poteſt ferre aliquod judicium, An leges in Republica latæ ſint rogandæ an abrogandæ, niſi ſciat primò ipſam artem politicam ſeu civilem prudentiam, quæ leges ſingulis ſtatibus

conveniant, quæ ſint ſalutares, quæ damnoſæ: ſingulæ enim formæ Rerumpublicarum, ſive ſint ſimplices, ſive mixtæ, habent ſingularem naturam, ſingularia jura, & leges: quæ omnia, ut optimè Legumlator novit, ita etiam JCtus interpres legum latarum ea ignorare non debet: unde non malè dicitur, eandem notitiam in JCto & Legiſlatore requiri. Quæ enim prudentia neceſſaria eſt in Legiſlatore in legibus probè rogandis & abrogandis, eadem etiam in JCto in legibus latis dextrè interpretandis, & ad negotia civium applicandis requiritur Atqui in legiſlatore neceſſaria eſt illa prudentia civilis, ut intelligat, quid Reipubl. in genere conveniat, & quid in particulari illi Reipubl. cui præeſt, Ergo etiam illa prudentia requiritur in JCto, in legibus latis interpretandis. Ratio majoris eſt, quia impoſſibile eſt poſſe JCtum probè interpretari jura ſancita & illa accommodare ad actus civium in Republica, niſi naturam Reipublicæ in genere & in ſpecie optimè intelligat.

V I.

Ex hoc verò, quòd ſtatuimus, eandem requiri notitiam in JCto & Legiſlatore, non rectè infertur; Ergò JCti ſunt Legumlatores, quia non ſequitur, quicunque novit artem imperandi, penes illum ſtatim eſt imperium independens & civile; vel, in quo eſt prudentia civilis & Politica, ille eſt Legumlator. Quid verò conveniat Reipubl. vel non, illa doctrina eſt petenda ex Politica, adeoque eſt veræ Philoſophiæ; Notitia verò ſingularis alicujus Reipublicæ certæ & individuæ, non eſt quidem ejus prudentiæ civilis vel politicæ, quæ agit in genere de Formis Rerumpublicarum: Nam ut ars medica non agit in particulari de morbo hujus vel illius individui, Petri vel Pauli, ſed in genere præſcribit modum medendi: ita etiam prudentia

dentia civilis vel Politica agit in genere, quid expediat formis Rerumpublicarum. Attamen quia prudentia etiam ſingularis alicujus Reipublicæ, quodammodo & ex parte fluit ex civili & morali Philoſophia, dici poteſt, quod jurisprudentia ſingularis ex parte quidem profluat ex civili prudentia, reſtricta tamen ad ſingularem Rempublicam, Conring. *in tract. de civil. prud. cap.* 3. & ſic rectè Franciſcus Suarez, *de Legibus in Proœmio* dicit, *Prudentiam Iuris Civilis nil aliud eſſe, quàm quandam Philoſophiæ moralis, ad regendos politicos mores Reipublicæ applicationem ſive extenſionem*, cui etiam convenit illud Ulpiani *l.* 1. *§.* 1. *ff. de juſt. & jur.* Porrò ſicuti leges in Republ. vel concernunt ſtatum Reip. ejusque gubernationem & conſervationem, vel negotia privatorum civium: Sic etiam prudentia dici poteſt, alia juris publici, quæ conſiſtit in notitia illius juris, quod ſtatum publicum Reip. immediatè concernit, alia v. prudentia juris privati; quæ diviſio non eſt generis in ſuas ſpecies, ſed ſaltem fluit à diverſitate objecti, cujus eſt prudentia. Utraque eſt ejusdem naturæ, & ex hujus habitu judicatur de actionibus civium, ſive ad publicum Reipublicæ ſtatum pertinentibus, ſive de privatis. Errat igitur Sutholt. *diſſert.* 1. §. 43. quando juris publici prudentiam ad politicam refert, quia Politica agit in genere de formis Rerumpublicarum, non verò de hoc vel illo ſtatu Reipublicæ in particulari: jus publicum verò de ſtatu individuo & particulari alicujus Reipublicæ.

VII.

Ex ſuprà dictis patet, quòd JCti non tàntùm ad legum interpretationem, verùm etiam ad officium Conſiliariorum & deliberationes publicas in Republ. jure admittantur, ſi pru-

dentiâ etiam Architectonica & conſultatoria probè ſunt inſtructi, quibus injuriam facit Hippolithus à Lapide *de ratione ſtatus in proœm.* ubi infert, optandum eſſe, legem Imperii, quæ tempore Friderici III. Imperat. de excludendis tam à privatis judiciis, quàm publicis conſiliis, Legiſtis, ſub incude fuit, executioni fuiſſe mandatam, cujus verba memorabilia hæc ſunt: Daß alle *Doctores* der Rechten im Heiligen Römiſchen Reich Teutſcher Nation/ am Kammer-Gericht/ bey keinen Rechten/ und in keiner Fürſten/ oder andern Räthen mehr gelitten/ ſondern gantz abgethan werden ſollen: Weil ihnen das Recht mehr/ dann den Leyen/ verſchloſſen iſt/ und kan ihrer keiner einen Schlüſſel darzu finden/ biß beyde Theil arm werden/ oder gar verdorben ſeynd. Sie ſeynd Stieffväter/ und nicht die rechten Erben der Rechten/ dann ſie nehmen ihnen den rechten Grund der Warheit: und bringen durch ihren unordentlichen Geitz das Recht zu einem ſolchen Unglauben/ daß kein Frommer ſein Vertrauen darin mehr ſetzen kan/ Limnæus *lib.* I. *de jur. publ. cap.* 10. de qua declaratione, vid. Conring. *de Orig. Iur. Germ. c.* 33. per totum, qui probat, tantùm abeſſe, Doctores Juris à conſiliis publicis & judiciis, impoſterum vel ad leve tempus fuiſſe ſecluſos, ut omnia penè conſilia & judicia illis ſolis ſint concredita, & jam tum à quinquaginta annis ferè Juris Romani Doctores in Germania ſatis magno numero publicis judiciis & conſiliis præfuiſſe. De hac particulari verò Juriſprudentia hoc dubium moveri poteſt; quomodo ex tali prudentia circa ſingularem Rempublicam poſſit extrui certa aliqua ars & facultas, tali enim

num argumento nonnulli in contrarium utuntur: Quæ notitia conſiſtit in legibus certæ alicujus Reipublicæ & ſingularis, ex illa non poteſt extrui certa aliqua ars & facultas: Atqui Jurisprudentia particularis conſiſtit in legibus certæ alicujus Reipublicæ. E. Reſp. Quod quidem ex legibus ſingularibus certæ & individuæ Reipublicæ non poſſit exſurgere certa aliqua ars interpretandi, inde verò malè inferatur, Ergò etiam ex interpretationibus ad leges ſingulares certa aliqua ars extrui non poteſt; Sunt quidem leges ipſæ per ſe ſingulares & contingentes, ipſa verò ars interpretandi eſt rerum univerſalium, in quantum nititur præceptis univerſalibus interpretandi. Et notandum hic, quòd ſit alia ratio artis alia verò artificis; Ita Politicus imbutus habitu Politico, verſatur circa merè ſingularia circa certam formam alicujus Reipublicæ, ipſa verò Politica ſive habitus, cujus beneficio Reipublicæ præeſt, eſt rerum univerſalium; ſic etiam Medicus agit de ſingulari aliquo morbo, quo Petrus vel Paulus laborat, ipſa verò ars eſt rerum univerſalium: Sunt quidem nonnulli, qui noſtram Jurisprudentiam incertitudinis arguunt, inter quos eſt Zabarella *de naturalis ſcientiæ conſtitutione cap.* 33. & Angelus Thyus *in præcognitis Logicis*, quos refert Sutholt. *diſſert.* 1. *§.* 39. qui ſtatuunt, Jurisprudentiam eſſe ſimplicem quandam peritiam quæ nec ſcientia, nec prudentia nec ars appellari mereatur, contra quos diſputat Angelus Mattheacius *de via & ratione juris l.* 1 *cap.* 10. Concedimus quidem in Jurisprudentia non dari tantam certitudinem, qualis in Matheſi & aliis diſciplinis ſpeculativis obtinet, inde verò non ſequitur, Ergò nulla certitudo datur, quia talis datur, qualis in Philoſophia morali, practica, locum obtinet, cum qua noſtra diſciplina juris re-

ctè

ctè comparatur Ariſtot. *lib.* 10. *Ethic.cap.ult.* & Conring. *in præfat. in introductione in Politicam Ariſtot.cap.*3. ubi probat, quod quidem in Philoſophia civili non dentur tales demonſtrationes, quales in Matheſi; Dari tamen pro ratione materiæ & objecti adeò firmas & evidentes, quales judicio humano excogitari potuerunt.

VIII.

Sæpiſſimè quidem peccatur ab interpretibus juris communis, ex quo dantur opiniones communes contra communes, communiores, communiſſimę, de quibus extat integrum opus Hieron. de Cævall. *in ſpec. opinion. commun. contra communes*, ſed quod ab uno vel altero interprete peccatur, ipſis legibus vel Jurisprudentiæ citra manifeſtam calumniam imputari non poteſt: ſicuti enim propter innumeras hæreſes in Theologia veritas verbi divini non infringitur; ita etiam propter varias & diſcrepantes opiniones Doctorum certitudo in noſtra Jurisprudentia infringi nequit: quia eadem eſt in utraque facultate ratio: nec adeò eſt firmum argumentum, quando quis ita argumentari vult: Cujus facultatis objectum eſt mutabile, in illa non datur aliqua certitudo. At Jurisprudentiæ Objectum, nimirum leges, ſunt mutabiles. E. Minor probatur hoc argumento: Quæcunque dependent ab arbitrio & voluntate Legislatoris, (quæ voluntas eſt mutabilis) illa ſunt mutabilia; Atqui leges dependent ab arbitrio Legislatoris. E. Reſp. ad prius argumentum, negando majorem: Non ſequitur, Objectum eſt mutabile, Ergo & facultas ipſa mutatur, ut apparet in reliquis diſciplinis, ut in Medicina, cujus notitiam habet Medicus evidentem & certam, licet ipſe morbus

morbus ſit mutabilis & incertus, eadem etiam ratione mutabilitas legum non poteſt obeſſe certitudini noſtræ Jurisprudentiæ; Deinde contingens poteſt ſumi dupliciter (1) pro eo, quod non eſt neceſſarium, & hoc etiam ſenſu negatur major, quod ſcil. de tali contingenti non poſſit haberi aliqua certitudo, quod enim frequentius ita ſe habet, de eo poteſt formari aliqua certitudo, adeoque dantur gradus certitudinis: In materia enim neceſſaria habetur major certitudo, quam in contingenti: Inde verò inferri nequit, Ergò de re contingenti & mutabili nulla poteſt haberi certitudo; (2) contingens poteſt ſumi pro eo, quod omninò eſt incertum & indefinitum, & ad utrumque oppoſitorum ſe æqualiter habet, quo ſenſu negatur minor in priori argumento; imò etiam quantumvis concedamus hoc ſenſu etiam leges eſſe mutabiles & contingentes, non tamen ſequitur, Ergò etiam ipſa Jurisprudentia eſt omninò incerta, & falſum eſt, quòd omnes leges ſint mutabiles & contingentes: Lex enim diſtinguitur, ut alia dicatur naturalis, alia poſitiva; illa eſt omninò immutabilis, quæ enim lex non dependet ex arbitrio Legislatoris, ſed promanat ex principiis internis rectæ rationis, (quæ principia ſunt immutabilia) illa eſt immutabilis. Atqui lex naturalis non dependet, &c. E.

I X.

Quia verò leges poſitivæ, circa quas verſatur noſtra Jurisprudentia, ſunt contingentes, quatenus opponuntur materiæ neceſſariæ, hinc etiam principia Jurisprudentiæ ſunt contingentia pro ratione materiæ & objecti. Ariſt. *lib. 1. Prior Analyt. cap. 12. & lib. 1. Poſt. c. 15.* quæ tamen ſunt vera & propria, quamvis non ſint neceſſaria, ita ut ſe aliter habere non poſſint, ſed quæ ita ſe habeant, ut plurimum. Ex quo quidem certitudo

titudo

titudo principiorum ex parte infringitur, non verò in totum tollitur, optimè inquit Ariſt. *Eruditi eſt, eatenus exactam in unoquoque genere explicationem requirere, quatenus pati rei ipſius natura poteſt. Nam Mathematicum ſuaſionibus utentem approbare; & ab oratore demonſtrationes exigere ſimile vitium videtur*, & optimè ſubjicit: *Verum unusquisque ea rectè judicat, quæ cognoſcit: atque eorum bonus judex eſt.* Dantur itaque in Jurisprudentia definitiones, certa quædam axiomata, quæ ut plurimum ita ſe habent, quam contingentiam legum apertè fatetur Ariſt. *lib.* 5. *Eth.cap.*14. *Lex id ſumit, quod ut plurimum fit, non ignorans ſanè, quid peccatur, & nihilominus tamen rectè ſe habet, quippe cum peccatum in lege minimè ſit, neque in Legislatore, ſed in rei ipſius natura conſiſtat. Statim enim rerum agendarum notitia ejusmodi eſt.* Quæ igitur in jure noſtro formantur propoſitiones vel axiomata, illa ſunt vera ut plurimum, quare JurisConſulti ſæpè utuntur hac formula in legibus, plerumque hoc fieri, vel ſæpius, quæ ſunt ſigna contingentiæ, uti in Philoſophia morali vix datur aliqua propoſitio practica, quæ non patiatur aliquam limitationem vel exceptionem, V.G. Propoſitio hæc eſt: Depoſitum eſt reddendum, quæ in nonnullis caſibus fallit, de quo textus notabilis in *l.* 31. *ff. Depoſit.* vid. Grot. *de Iur. Bell. & Pac. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 1. ita in noſtra Jurisprudentia dantur certa quædam præcepta vel principia, vel certæ quædam propoſitiones, quæ ſunt loco principiorum, & habent ſe ut plurimum, licet in aliquibus caſibus interdum fallant, unde

hæc propoſitio, Depoſitum eſt reddendum; Depoſitum non eſt reddendum, utraque poteſt eſſe vera pro diverſitate circumſtantiarum. Sic etiam jus naturale jubet honorem & reverentiam exhiberi parentibus, nullaque in re magis, quàm quæ ad generis propagationem ſpectat, uti alicubi ab Ariſtot. notatum eſt, & probat Grot. *de I. B. & P. lib.2 cap.5.n.3.* incidunt verò interdum circumſtantiæ, quæ exceptiones porrigant. Quid enim ſi parentes odio, avaritia aliisve affectibus detenti, ceſſent officium facere? æquumne erit libertatem naturalem liberis auferri? Jure Romanorum filia, quæ poſt annum vigeſimum quintum, ceſſantibus parentibus, nuptias fecerit, innocens habetur, *Novell.115. cap.*3.§.11. vid. Grot. *in Annotat. in libros Evangeliorum. pag.*370. Licet itaque propoſitiones in legibus Romanorum ſæpenũmero exceptiones patiantur, ſunt tamen ita in ſuo genere certæ, ut jure dicatur, aut noſtram Jurisprudentiam certam eſſe, aut nullam ſperandam, uti de Philoſophia Ariſtotelica fertur. Saltem hoc addam, quòd Jurisprudentia pro concluſionum propriè juridicarum principio non Philoſophiam, ſed leges civiles agnoſcat, quippe quæ ſunt proprium & determinatũ earum principium, nemo tamen ignorat Jurisprudentiam, cùm ex jure civili tanquam ex principio proprio argumentatur, etiam communibus Philoſophiæ principiis loco alterius præmiſſæ quandoque uti; licet Philoſophia tunc non ſit abſolutè principium cõcluſionis, quando n. in aliqua diſciplina cum principio proprio aliud, diverſis diſciplinis cõmune principium ad inferendam concluſionem concurrit, tunc illud dicitur abſolutè concluſionis principium, à quo ipſa tanquam à proprio principio diſciplinæ dependet, quia quod principium eſt commune & indifferens ad plures concluſiones diverſarum diſciplinarum

ab eo licet concluſio etiam dependeat, non ſolet tamen abſolutè ejus principium vocari, ſic cauſa univerſalis, vera cauſa eſt effectuum particularium, V.G. Deus eſt cauſa generationis, quâ vel homo vel bos producitur, non tamen effectus particularis ab illa, ſed à particulari cauſa, à qua ad certam ſpeciem determinatur, ſuam accipit denominationem, ſic enim non dicitur Deus hominem vel leonem generare, ſed homo, qui eſt particularis & determinata cauſa generat hominem: Eodem modo in qualibet diſciplina id vocatur concluſionis principium, à quo ipſa ad certam ſpeciem diſciplinæ determitur: quæ determinatio non eſt à communi, ſed à cujusque diſciplinæ proprio principio, uti hoc etiam videre eſt in concluſione Theologica, cujus principium abſolutè loquendo, eſt propoſitio Theologica, licet altera præmiſſarum Philoſophica in principali argumento ſuo modo ſit ejusdem concluſionis principium, nam determinatio ejus, tanquam effectus ad eſſe Theologicum, ſeu ad ſpeciem Theologicæ concluſionis, non eſt à Philoſophica, utpote quæ in ſe ad Theologicam, Philoſophicam, & aliarum diſciplinarum concluſiones indifferens eſt, ſed à Theologica propoſitione, uti hoc accuratiſſimè tradit Dn. Johannes Muſæus *in inſigni tractatu de uſu princip. ration. & Philoſoph. in Controverſ. Theol. l. 2. c. 13. §. 20.*

X.

Atque hactenus in genere egimus de noſtra Jurisprudentia, & adumbravimus officium & munus JCti. Probavimus ſupra, quòd Jurisprudentia noſtra ſit habitus practicus: Sicuti igitur aliæ diſciplinæ practicæ omnes tractantur ordine analytico, qui à fine incipit, & ab hoc ad ſubjectum, atque hinc

tandem

tandem ad media progreditur; ita etiam talis modus tractandi conveniens eſt noſtræ Jurisprudentiæ; Indeque tres ſunt partes eſſentiales noſtræ Jurisprudentiæ: Quarum prima complectitur doctrinam de fine Jurisprudentiæ: altera agit de Jurisprudentiæ ſubjecto: tertia de modo ſeu mediis perveniendi ad finem. Finis Jurisprudentiæ diſtinguitur, vel enim eſt Remotus vel Proximus: Remotus vel ultimus vel intermedius; ille eſt publica Salus vel Reipublicæ Felicitas, Intermedius finis eſt juſtitia, de cujus variis acceptionibus agit Ludovicus Molina *de juſt. & jur. tract.* 1. *diſp.* 1. Leonhardus Leſſius *de juſt. & jur. l.* 2. *c.* 1. *dub.* 1. *per totum*. Et diſtinguitur juſtitia in univerſalem & particularem: Hæc iterum in commutativam & diſtributivam: quæ diverſitas fluit ſecundum Leſſium *l.* 2. *c.* 1. *dub.* 4. à diverſa habitudine, quæ in Republica reperitur: Datur enim in Republica triplex habitudo: Prima eſt Partium ad totum: Secunda Partis ad Partem: Tertia Totius ad Partes, quæ tamen comparatio cautè accipienda, uti docet Dn. Hornejus *in Phil. Mor. pag.* 458. Virtus quæ diſponit ſingula membra ad Bonum totius Reipublicæ, illa eſt juſtitia univerſalis, quæ verò ad partem, particularis, & quidem ſi civem ad civem, ut inter cives in actionib⁹, quibus inter ſe communicant, æqualitas ſervetur, juſtitia commutativa, ſi verò Totum ad Partes nimirum in diſtribuendis rebus communibus per cives, officiis & oneribus, juxta proportionem Geometricam, dicitur juſtitia diſtributiva. Surholt. *diſſ.* 1. §. 21. & *ſeqq.* Grot. *de I. B. & P. l.* 1. *c.* 1. *n.* 8. Quæri hic ſolet; Qualis juſtitia ſit propriè finis noſtræ Jurisprudentiæ? Et dicunt nonnulli juſtitiam particularem eſſe finem. Verior verò eſt ſententia, quod nimirum juſtitia univerſalis ſit propriè finis, tali argumento: In quem finem tendit Legislator in legibus

condendis, vel abrogandis, & magiſtratus in exercendis judiciis, eundem etiam finem præfixum habet JCtus in legibus latis interpretandis: Atqui Legislator Juſtitiam univerſalem pro fine ſibi propoſitum habet. E. Minor probatur hoc ſyllogiſmo: Cujus intentio eſt, tales efficere cives & ſubditos, quales Bonum commune & decus Reipubl. poſtulat; ille ſine dubio pro fine habet, non juſtitiam particularem, ſed potius omnium virtutum exercitium. Atqui Legislator intendit tales efficere cives & ſubditos, E. Ariſt. *lib.* 1. *Eth. cap.* 10. *& lib.* 5. *Eth. cap.* 3. *&* 5. Suarez *de Legib. lib.* 3. *c.* 12. *per totum.* Et hoc apparet ex jure Juſtinianeo, in quo omnes leges ad juſtitiam particularem nequaquam poſſunt referri, quia in illis legibus non tantum præcipitur juſtitia particularis, nimirum in contractibus, verùm etiam exercitium aliarum virtutum, ex quibus ita argumentor: De quibus feruntur leges à Legislatore, & exercentur judicia, de iis etiam habet locum interpretatio vel officium JCti; Atqui non tantùm conduntur jura, leges à Legislatore de juſtitia particulari, verùm etiam in materia aliarum virtutum moralium, E contra verò prohibentur omnia ferè vitia, quæ perturbant publicam tranquillitatem Reipublicæ: Ergò de eis omnibus locum habet interpretatio & officium JCti: vid. Ariſtot. *lib.* 5. *Eth. cap.* 1. unde etiam *in l.* 10. *§.* 1. *ff. de juſt. & jur.* hæc juris præcepta traduntur, honeſtè vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere, quorum primum ad juſtitiam illam pertinet, quam generalem vocat Ariſt. altera duo ad ſpecialem, prius removendo contrarium: *Nam virtus eſt, vitium fugere, & ſapientia prima, ſtultitia caruiſſe*: Poſterius, id ponendo, quod huic virtuti eſt proprium. Grot. *in Florum ſparſion. ad jus Juſtinianeum pag.* 74.

Idem

Idem profitetur Ulpian. *l.1.ff. de juſt. & jur.* ubi ita ait: *Juſtitiam namque colimus, & boni & æqui notitiam profitemur*, declarat autem ſe non tantum loqui de juſtitia particulari, ſed & de generali, quæ reſpicit juſtum legitimum, ut Ariſtot. loquitur; Unde ſubjungit, *Æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes, bonos non ſolum metu pœnarum, verùm etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes, veram, niſi fallor, Philoſophiam, non ſimulatam, affectantes.* Suarez *de Legibus lib.* 3. *c.* 12. *n.* 7. ex quo loco deſcriptio veri & perfecti JCti hauriri poteſt, debet enim perfectus JCtus eſſe bonus, verâ Jurisprudentiâ inſtructus, unde idem Philoſophus, Sacerdos & JCtus appellatur. Et differt Jurisprudentia à reliquis inferioribus diſciplinis, quòd in his non impediat, quo minus quis ſit bonus Medicus, & tamen male ſanus, bonus calcifex ſine calceis, in illa verò utrumque neceſſariò requiratur, ita ut nemo verè juris & juſtitiæ ſacerdos eſſe poſſit, niſi idem ſimul ſit juſtus, abſque quo non prudens juris & conſultus, ſed callidus & aſtutus vocari debeat; Dixi JCtum vera prudentia juris inſtructum eſſe debere, quia vulgaris ac aſſimulata non perfectum JCtum, ſed ſaltem Legulejos, Sophiſtas & Pragmaticos efficere poteſt, Joach. Hopper. *de vera jurisprudentia lib.* 4. *tit.* 31.

X I.

De hac juſtitia univerſali intelligenda eſt definitio, *in princ. Inſt. de juſt. & jur. & l.10. ff. in princ. eod.* nam debitum quidem interdum ſtrictè ſumitur pro ea obligatione, quam inducit jus expletorium, interdum verò laxius, ut ſignificet id,

quod

quod niſi inhoneſtè omitti non poteſt, licet honeſtas illa non ex juſtitia expletrice, ſed ex alio fonte promanat, quo ſenſu datur aliquod debitum inter parentes & liberos, ex relatione. quæ inter illos intercedit, quod eſt vel reciprocum, ad quod parentes liberis, & liberi parentibus ſunt obligati, ut præſtatio alimentorum *tot. tit. de agnoſcend. & alend. lib. l. pen. ff. de his qui ſui vel alien jur.* Grot. *de I. B. & P. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 4. vel à ſolis liberis, tum iis, qui in ſacris paternis, tum emancipatis, patri & matri præſtandum, ut reverentia, *l.* 4. *C. de patr. poteſt. l.* 4. *de tutor. furioſ.* quia emancipatio jus naturæ, ex quo hoc debitum reverentiæ fluit, nequit diſſolvere, Grot. *ad Evangeliſt. pag.* 370. *& de I. B. & P. lib.* 2. *c.* 7. *n.* 6. *&* 10. Quamvis inter hos teſte Philoſ. propr. nulla ſit juſtitia, vid. Leſſ. *de juſt. & jur. lib.* 2. *cap.* 1. *dubit.* 1. *n.* 6. Hoc quidem larga manu concedo, quòd ut aliquid in foro exigi poſſit, non ſufficiat, ut id, quod poſtulatur, ſit ex morali ratione faciendum, multis enim caſibus evenit, ut obligatio ſit in nobis, & nullum jus in alio, ſicut in debito miſericordiæ & gratiæ reponendæ apparet, quippe qui beneficium dedit, nullum habet jus ad repoſcendam gratiam, alioqui contractus eſſet, non beneficium, Grot. *de I. B. & P. lib.* 2. *cap.* 22. *n.* 16. *& lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 3. ſed præterea opus ſit, ut in nobis jus quoddam ſit, circa illud, quale jus interdum leges divinæ & humanæ dant circa debitum aliarum virtutum, quod cum ſit, nova tum debendi ratio accedit, quæ jam ad juſtitiam pertinet, quando igitur leges civiles Romanorum tali debito honeſtatis moralis adſiſtunt, illud ſimul præcipiendo, dando actiones nativas, officii judicis implorationem, rectè dici poteſt, illud propter præcepta legum poſitivarum, & accedentem novam debendi rationem ad juſtitiam pertinere.

Proxi-

XII.

Proximus finis Juriſprudentiæ eſt ipſa applicatio juris ad actiones civium, *l.1.§.1.ff.de juſt.& jur.* in qua propriè officium JCti conſiſtit. Ut verò leges ad actiones civium prudenter applicari poſſint, conſiderari debet primò caſus, vel facti ſpecies cum ſingulis circumſtantiis, ad quam jus eſt applicandum, *l.52.§.2.*ibi: *Reſpondi in cauſa jus eſſe poſitum ff.ad Leg. Aquil.l.13.C.de Transact.l.1.§.3.ad Leg.Cornel.de Sicariis*, ſecundò ſunt probè perpendenda verba legis, mens & ratio, quando opus eſt; Nam ut ait noſter Stagirita, *lib.5. Eth.cap.14. Interpretis eſt corrigere defectum Legislatoris*, & quidem hoc modo; *id quod etiam Legislator ipſe, ſi adeſſet, dixiſſet, & ſi ſciviſſet, ita præſcribentem legem inſtituiſſet.* Ex quibus igitur lex poſitiva conſtat, circa ea JCtus in legibus accommodandis & interpretandis occupatur: Atqui lex civilis plerumque ex his tribus conſtat, verbis, mente & ratione, quam tamen multi cum mente confundunt, vid. Grot. *de I.B.& P.lib.2.cap.16.n.8.* Ergò circa hæc tria JCtus occupatus. Sine omni auxilio verborum mens legis quidem haberi nequit, ex iis tamen ſolis eandem elici poſſe, omninò negamus. Rectè Cic. *in Oratione pro A.Cæcinna. Quæ lex, quod SCtum, quod Magiſtratus edictum, aut fœdus, aut pactio, quod (ut ad res privatas redeam) Teſtamentum, quæ judicia aut ſtipulationes, aut pacti & conventi formula non infirmari aut convelli poteſt, ſi ad verba rerum deflectere velimus, conſilium autem eorum, qui ſcripſerunt, & rationem & autoritatem relinquamus. Sermo me hercule & familiaris &*

D quoti-

quotidianus non cohærebit, ſi verba nos aucupabimur. Denique imperium domeſticum nullum erit, ſi ſervulis hoc noſtris conceſſerimus, ut ad verba nobis obediant, non ad id, quod ex verbis intelligi poſsit, obtemperent. Idem docet *Ariſtot. lib.1. Rhet. cap.13. circa fin.* ubi ita ſcribit, *non ad legem, ſed Legislatorem reſpiciendum, non ad orationem, ſed ad ſententiam Legislatoris.* Et ſic datur interpretandi genus ex conjecturis extra ſignificationem verborum, eorum ſcilicet, quibus lex continetur, idque dupliciter, vel extendens, vel coarctans; illa interpretatio, quæ extendit, difficilius procedit, facilius quæ arctat. Sicuti enim in rebus omnibus ut effectus non ſequatur, ſatis eſt unam deeſſe cauſarum, ut naſcatur, omnes convenire oportet; ita & in interpretatione, conjectura extendens legem, non temerè admittenda eſt, ſed valdè certa eſſe debet, ut extenſionem inducat; nec ſufficit ratio ſimilis, ſed oportet, eadem ſit, nec id ſemper ſatis eſt, ut dicamus, ex ratione legis faciendam extenſionem, quia ſæpè ratio ita movet voluntatem Legislatoris, ut tamen voluntas ſit cauſa per ſe ſufficiens, etiam ſine ratione illa. Ut ergò talis extenſio legis fiat, opus eſt, ut conſtet, rationem, ſub quam venit caſus, quem volumus comprehendere, eſſe cauſam unicam & efficacem, quæ voluntatem ſupremi imperantis moverit, eamque rationem ab eo conſideratam in ſua generalitate, tunc enim lex ex ejus ſententia & ratione generaliori ad caſus ſimiles, non quidem formaliter, attamen implicitè & virtualiter, quoad mentem & rationem in ea comprehenſos, extendi poteſt, *l.12. l.13. l.24. ff. de Legibus. l.32. ad Leg. Aquil.*

Aquil.l.4.de Fundo dotali.l.7.§.2.de juriſdict.l.16.de ſponſal. Suarez *de Legibus l.6.c.2.3.4.* Grot. *de I.B.& P.lib.2.c.16.n.20.* *Et argumento eſt ſacra Reſpublica, quam Deus ipſe ſuo ore, providentia ſingulari conſtituit, quaque legibus divinis* νενομοθέτηται. *Quippe inconſtantiam & perverſitatem voluntatis humanæ cognoſcens omnium Dominus, Iſraeliticam Rempublicam legibus potius quàm Magiſtratuum arbitrio regi voluit. Voluntas enim lubrica eſt, inque proclivi, ut per devia oberret, cum lex certior ſit norma & tutior vitæ canon. Quam itaque adeo protulit Legislator, ut poteſtatem quoque legum condendarum ſummo Senatui permiſerit. Nihil novi vel præcipere vel vetare Iſraelitis conceſſum, imò planè interdictum. Verum ea quæ in genere à Deo præſcripta erant, ad ſpeciales applicare caſus, adeoque ex generali lege multas quandoque ſancire ſpeciales; minimè Primatibus interdictum;* verba ſunt Conſtantini L'Empereur *de Legibus Ebræorum, in præfat. ad Baba Kamma ex Nezikim.*

XIII.

Reſtringens interpretatio eſt, quando ob legis, quæ ſecundum verba videtur generalis, ſenſum & rationem anguſtiorem, caſus obveniens iſtâ non cenſetur comprehenſus, & obtinet, quando ſententia & ratio legis eſt ſtrictior, & ceſſat in caſu contingenti, cum ſuis circumſtantiis conſiderata, vid. *l.32 de Pactis.l.2.§.2.ad SCtum Vellej.l.6.C.de Legibus.* Suarez *d. lib.6.*

lib.6.c.5. & ſeqq. ſic enim propoſitiones univerſales, quales ſunt leges, multas patiuntur exceptiones, & ſæpè caſus incidunt, in quibus abſurdum eſſet, verba legis ſequi, V.G. lex ſit: Depoſitum eſſe reddendum: accidit autem, ut quis gladium depoſitum repetat aliquem interficiendi cauſa, non eſt parendum verbis legis, ſed contra faciendum, & hoc eſt officium virtutis, quæ Græcis Ἐπιείκεια, latinis æquitas dici poteſt. Item lex ſit: Nemo mœnia urbis transſcendat: incidit caſus ubi, niſi quis mœnia tranſcenderit, hoſtis urbem capturus ſit, tunc æquitas ſuadet facere contra verba legis, & locum habet hæc æquitas, non ſolùm in legibus poſitivis, ſed etiam in naturalibus quibusdam generaliter expreſſis, ut Cajetanus *quæſt.* 120. *art.* 1. docet, ut in lege Decalogi, Non occides; ſi verò lex naturalis conſideretur propriè, nempe cum illis circumſtantiis, cum quibus habet legis naturalis rationem, tum in omni caſu ſervanda, tanquam per ſe juſta & recta, unde nullam Ἐπιείκειαν admittit. Qua ratione dicitur hæc virtus directiva & correctiva legum, quæ propter generalitatem à recto deficiunt, Vid. Leonard. Leſſium *de juſt. & jur. lib.* 2. *cap.* 42. *dubit.* 9. Hæc interpretatio reſtringens petitur aut ex defectu originario voluntatis in Legislatore, aut ex caſus emergentis repugnantia cum voluntate; Defectus voluntatis originarius intelligitur ex abſurdo, quod alioqui evidenter ſequeretur, ex ceſſatione rationis, quæ ſola plenè & efficaciter movit voluntatem, & ex materiæ defectu. Repugnantia caſus emergentis cum voluntate ſolet ab oratoriæ artis magiſtris referri ad locum περὶ ῥητοῦ διανοίας & duplex eſt; Nam voluntas aut colligitur ex naturali ratione, aut ex alio ſigno voluntatis: dijudicandæ voluntati ex naturali ratione, Ariſt. propriam virtutem tribuit in intel-

lectu

lectu γνώμην, ſive εὐγνωμοσύνην, id eſt, æquiprudentiam; in voluntate verò ἐπιείκειαν, id eſt, æquitatem; quam ſapienter definit *lib.5.Eth.cap.*10. correctionem ejus, in quo lex deficit ob univerſalitatem, Leſſius *de juſt. & jur. lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 3. *n.* 15. Cùm enim omnes caſus nec prævideri, nec exprimi poſſunt, ideò libertate quadam opus eſt, eximendi caſus, quos qui locutus eſt, ſi adeſſet eximeret, non tamen temerè, id enim eſſet, ſe dominum facere actus alieni, ſed ex ſufficientibus indiciis. Videſis Grot. *de I.B.& P.lib.*2.*cap.*16.*n.*26. qui hæc pluribus eruditè tradit. Et hæc interpretatio Doctrinalis competit JurisConſulto qua tali, ad quam etiam Juris prudentia media ſive Cabaliſtica, illi perſimilis, quæ in Republ. Hæbreorum obtinuit, referri debet, ſicut enim apud hos Cabala nil aliud fuit, quàm interpretatio divinæ legis non ſcripta à ſapientibus tradita, atque quaſi per ſucceſſionem transmiſſa; Ita hæc Jurisprudentia Cabaliſtica eſt ſecretior quædam & non ſcripta legum Decemviralium interpretatio, per traditionem à prudentibus ad prudentes traducta, hoc ſignificare voluit Papinianus *in l.*10.*ff.de jur.Codicill.* illo modo loquendi, ibi, *quod per manus traditum eſt, codicillis hæreditatem dari non poſſe*, ad quam legem notat Gothofredus, quod etiam JCti traditiones habeant. vid. Galvanum *de Uſufructu cap.6.n.7.* Eſt verò alia interpretatio Authentica, quæ fit à ſupremo Imperante, quando nimirum ſententia & ratio legis adeò obſcura & ambigua eſt, ita ut JCtus neſciat, an qui jam evenit, caſum Legislator voluerit lege ſua comprehenſum, *l.*1. *l.ult. C.de Legibus. Nov.*143. *in princ.* Quicunque enim poteſt legem in Republ. ferre, ille etiam maximè legem latam interpretari poteſt. Atqui ille, qui in Republica habet ſummum imperium, poteſt

legem ferre,&c. Ergò. Suarez *de Legibus lib.6.cap.1.n.2.* qui ſolus etiam manifeſtam duritiem legum poteſt emendare interpretatione,vel potius emendatione, *d.l.1.l.9.& ult. C.de Legibus*,cum quibus convenit illud Harmenopuli *lib.1.tit.1.§.33.* Cum aliud jus ipſum, aliud æquitas poſtulat, controverſiam hanc ſolus Princeps dirimit, Arnold. Vinn. *ſelect.jur. quæſt. lib.1. cap. 2.*

X I V.

Subjectum Jurisprudentiæ duplex ſtatui poteſt: Aliud inhæſionis, aliud operationis; illud eſt, cui inhæret habitus Jurisprudentiæ,& rurſus eſt vel ſubjectum Quod; quod à Jurisprudentia denominatur, nempe Homo, qui habitu Jurisprudentiæ eſt inſtructus, & dicitur inde JCtus, ſicut ab habitu Theologiæ quis dicitur Theologus, ab arte Medica Medicus, ita à Jurisprudentiæ habitu JurisConſultus; vel ſubjectum Quo; quod eſt, cui Jurisprudentia ineſt immediatè, & quo mediante eadem ineſt homini; Quia igitur jurisprudentia immediatè tantùm ineſt intellectui, & mediante intellectu in homine; Hinc ejus ſubjectum Quo, eſt intellectus hominis. Subjectum operationis, circa quod verſatur habitus jurisprudentiæ, ut finem ſuum in illud introducat, dici poſſunt actiones hominum civiles, quatenus ſunt juſtæ vel injuſtæ: Dico, quatenus ſunt juſtæ vel injuſtæ, quia in illis verbis exprimitur ratio formalis, deſumpta, ut fieri ſolet, in diſciplinis practicis à Fine; Et ſenſus horum verborum eſt, quòd actiones civium ſint ſubjectum operationis, quatenus illæ ad leges atque juſtitiam ſunt conformandæ, & ad civilem beatitudinem dirigendæ. Quod ſi verò quis ad modum diſciplinarum theoretica-

rum

rum diſtinguere velit, inter materiale & formale Objectum, dici poteſt, quòd actiones civium ſint objectum materiale, formale verò, ſive ratio formalis Objecti, quatenus illæ ſunt dirigendæ ad juſtitiam & civilem beatitudinem Reipublicæ, quod enim in diſciplinis theoreticis eſt modus conſiderandi, id in practicis analogicè loquendo eſt finis, quatenus ille eſt obtinendus. Sed objici hic poteſt: Quòd etiam actiones ipſius JCti ſint conformandæ ad juſtitiam, & dirigendæ ad civilem beatitudinem Reipublicæ, unde non ſatis commodè diſtingui videtur inter ſubjectum operationis & inhæſionis; Quod illud ſint actiones civium, quatenus ſunt juſtæ vel injuſtæ, Hoc verò JCtus: ſed reſponſio eſt facilis: Potentia activa, ſub qua etiam comprehenduntur habitus intellectuales, definitur ab Ariſt. *lib.5.Metaphyſ.cap.12.* quòd ſit principium mutationis in alio, aut quatenus aliud: Exempli cauſa, ædificandi facultas eſt principium mutationis, non in ædificante, ſed in alio, quod ædificatur; Sic etiam Jurisprudentia per ſe eſt principium mutationis in alio, id eſt, ipſa per ſe eſt in alio Subjecto, nempe in JurisConſulto, in alio autem operatur, ut finem ſuum introducat, & actiones civium dirigantur in civilem beatitudinem Reipublicæ, quia verò accidere poteſt, ut is, cujus actiones ſunt conformandæ ad juſtitiam, ſimul ſit JurisConſultus, ideò concedere poſſumus, quòd etiam JCtus ſit Jurisprudentiæ ſubjectum operationis, non quidem quà talis, ſed quatenus actiones ejus ſunt conformandæ ad juſtitiam, cui contingit & accidit, illi ineſſe Jurisprudentiam. Perinde ut ars medendi poteſt ineſſe ei, qui curatur, non quidem quatenus curatur, cum hoc fiat per accidens, ut is, qui curatur, artem medendi ſciat, & principium curationis activum in ſe ipſo habeat.

habeat. Eſt igitur firma concluſio, quod actiones civium, quatenus ſunt juſtæ vel injuſtæ, ſint objectum operationis noſtræ Jurisprudentiæ. Agit quidem Philoſophia moralis de actionibus moralibus, ſed non eo ſenſu vel eo modo, quo Jurisprudentia, nam illa agit de actionibus moralibus, quatenus ex iis acquiruntur habitus virtutum: Jurisprudentia verò, vi quadam externa, præmiis atque pœnis cives ad juſtitiam colendam aſſuefacere ſtudet: Ex quo tamen concludi nequit, quod Jurisprudentia ſaltem requirat externam obedientiam, Certum eſt, quod actiones merè internæ propriè non ſint objectum legis poſitivæ, Grot. *de J. B. & P. l. 2. c. 4. n. 3. & l. 2. c. 20. n. 18.* Notanda hic venit diſtinctio actionum moralium, quòd aliæ ſint externæ, aliæ internæ; Illæ ſunt primaria materia imperii humani, & conſequenter legum poſitivarum; Hæ verò ſecundaria, non quidem per ſe, ſed propter externas actiones, unde circa actiones merè internas, quæ omninò ab externis ſunt ſeparatæ, imperia humana non occupantur, quo ſenſu accipiendum, quod dictant leges Romanæ, cogitationis pœnam neminem mereri, *l. cogitationis 18. ff. de Pœnis.* cujus cauſa eſt, quia imperium humanum requirit materiam, cujus natura cadit in notitiam imperantis; Quæcunque igitur actiones non cadunt in notitiam ſupremi imperantis, illæ propriè & per ſe non poſſunt vetari vel præcipi à ſummo imperante. Atqui actiones merè internæ, quatenus ab actionibus externis diſcernuntur, non cadunt in notitiam imperàntis. E. Minor inde conſtat: Quia ſolus Deus eſt mentium explorator, & conſequenter ille ſolus imperium habet in corda hominum: Hominibus verò ſuâ naturâ ſunt incogniti actus interni, dico, naturâ ſuâ; Quia ſi quæ ſunt externa, quæ clam alios fiunt, ea

imperio

imperio ſubjacent, quia naturâ cognoſci poſſunt, quod verò dixi, actiones internas ſubeſſe imperio humano ſecundariò, id dupliciter locum habet (1) ex intentione imperantis, ubi actus internus cum externo eſt conjunctus, & in eum quaſi fluit: Hinc in delictis perfectis, aut inchoatis animus ſive intentio in agente æſtimatur, *l. 14. ff. ad L. Cornel. de Sicariis. l. quisquis C. ad Leg. Jul. Majeſt.* Cicero pro Milon. *Niſi fortè, quia perfecta res non eſt, non fuit punienda, perinde quaſi exitus rerum, non hominum conſilia legibus vindicentur.* Vid. Grot. *ad Evangeliſt. pag.* 89. (2) Per repercuſſum, ut quia actio aliqua per imperantis prohibitionem eſt facta illicita, hinc cogitando talem actionem, ut faciendam eligere, eſt turpe & illicitum, non quod lex humana poſitiva, poſita ſit cogitationi hominis, ſed quia nemo poteſt honeſtè velle id facere, quod factu eſt turpè, & lege poſitiva à ſummo imperante prohibitum. Grot. *in tract. de imper. ſummar. poteſt. circa ſacra pag.* 44 *&* 45. Suarez *de Legibus lib.* 3. *cap.* 13. Anton. Matthæi *de criminibus lib.* 47. *Digeſtorum cap.* 1. *n.* 5.

X I V.

Atque hactenus de fine & ſubjecto Jurisprudentiæ. Ejus finis conſequendi modum præſcribit lex, quam in genere deſcribit Grot. *de I. B. & P. lib.* 1. *c.* 1. *n* 9. quod ſit regula actuum moralium, obligans ad id, quod rectum eſt, adde Suarez *de Legibus lib.* 1. *c.* 1. Dicitur ibi obligans, quia, quæ recta ratio ſuadet, non verò præcipit, illa quidem ſunt honeſta, & dici poſſunt conſilia rectæ rationis, quia verò non ſunt præſcripta obligantia, non veniunt legis aut juris nomine, & additur denique ad rectum obligans, quia leges non ſaltem præcipiunt a-

ctus juſtitiæ, verùm etiam materiam aliarum virtutum, & hoc ſenſu juris optima eſt partitio, quæ eſt apud Ariſtot. *lib. 5. Eth. c.* 10. Ut jus aliud ſit naturale, aliud voluntarium ſive poſitivum, quod ille vocat legitimum, & quidem dari aliquod jus naturale ſine humana ſanctione, apertis verbis profitetur Ariſt. *lib. 5. Eth. c.* 10. *&* 12. *& lib.* 1. *Rhet. c.* 13. *lib.* 1. *Mag. Mor. c.* 34. *lib.* 4. *Eud. c.* 5. Nec ſolus Ariſtot. hoc jus agnovit, ſed omnes ſapientiores gentiles hanc ſententiam ſunt amplexi; Carneades verò, qui, ut Lactantius refert *lib.* 5. *c.* 17. ad id pervenit, quod Academiæ ſummum erat, ut pro falſo non minus, quàm pro vero vires eloquentiæ potuerit intendere, ſuſcepit oppugnationem hujus juris naturalis, & nullum argumentum invenit validius iſto; jura ſibi homines utilitate ſanxiſſe varia pro moribus, & apud eosdem pro temporibus ſæpè mutata, jus verò naturale eſſe nullum, omnes enim homines & alias animantes ad ſuas utilitates, natura ducente ferri proindeque aut nullam eſſe justitiam, aut, ſi quæ ſit, ſummam eſſe ſtultitiam, quia ſibi noceat, alienis commodis conſulens; Ne lectorem diutius morer, negantis ſententiæ argumenta ob oculos ponam, ut cominus collatis pateat, quid ſequendum ſit: primum argumentum ita formari poteſt: Quicunque natura ducente feruntur ad ſuas utilitates, apud eos non eſt juſtitia & naturale jus. Atqui omnes homines ita feruntur, &c. Ergò. (2) Si datur aliquod naturâ juſtum vel injuſtum, ſequitur, quod illud apud omnes populos & gentes debeat eſſe juſtum vel injuſtum. Atqui non datur aliquod juſtum, vel injuſtum, quod apud omnes populos vel gentes tale eſt. Ergò non datur aliquod naturâ juſtum vel injuſtum. Ratio majoris

eſt,

eſt, ſicut enim nix omnibus æquè eſt frigida propter nativum frigus, & apud omnes ignis urit propter nativum calorem, ita etiam, quod naturâ & intrinſecè bonum vel turpe eſt, apud omnes homines tale eſſe debet. Minor verò inde probari poſſe videtur: Sic enim gentes olim fuere, & hodie non deſunt, quæ crimina, jure naturali prohibita, ſibi laudi duxerunt, & adhuc ducunt. Cæſar de Germanis: *Latrocinia nullam habent infamiam, quæ extra fines cujusque civitatis fiunt*, accedit teſtis Tacitus *de Moribus German.* idem de Tyrrhenis ſcriptum eſt Servio ad 8. & 10. Æneidos, & de aliis gentibus ad primum Æneidos. Diodoro Siculo de Luſitanis. Simile eſt, quod Judæi damnum datum ei, qui nec Judæus ſit, nec Judæis fæderatus, ſarciendum negant, vid. Grot. *de I. B. & P. lib. 2. cap. 15. n. 5. in notis.* Salmaſ. *in tract. de Vſuris pag.* 336. Cum matre aut patre filium filiamque conjungi, ingens ſcelus eſt, hoc tamen multi populi, inprimis Perſæ admiſerunt, ſed non difficile erit, hos objectos argumentorum nodos diſſolvere; Quod enim ad primum attinet, propoſitionem majorem in illo argumento limitandam eſſe arbitror hoc modo: Qui natura ducente feruntur ad ſuas utilitates tantùm, ut nullam eorum, cum quibus in ſocietate vivunt, habeant rationem, ſic concedo majorem, & nego minorem, ſi verò ita major formetur: Qui natura ducente feruntur ad ſuas utilitates primariò, ita tamen, ut ſecundariò aliorum curam prorſus non negligant, inter eos non eſt naturale jus, ſic falſa eſt propoſitio major, & tunc concedo minorem. Ordinata quidem charitas incipit à ſe ipſo, eos tamen, cum quibus quis ſocietatem colit, planè negligere, rectæ rationi & experientiæ repugnat. Locum hic habere debet nunquam ſatis memorata Periclis apud Thu-

 cydidem

cydidem ſententia *lib.2. Sic exiſtimo, etiam ſingulis hominibus plus eam prodeſſe civitatem, quæ tota rectè ſe habeat, quàm ſi qua privata floreat utilitatibus, ipſa autem univerſim laboret. Qui enim domeſticas fortunas benè collocatas habet, patriâ tamen everſâ, pereat & ipſe neceſſe eſt. Contra verò etiam, ſi quis in beata Republ. parum felix eſt, multò tamen facilius per illam incolumis ſervatur. Quare cùm civitas quidem ſingulorum poſſit ſuſtentare calamitates, ſinguli a. publicas non item; Quid eſt, cur non univerſim ipſi conſulere, ipſamq́; tueri oporteat, nec id facere, quod vos facitis, dum quaſi attoniti jactura rei familiaris, ſalutem proditis Reipublicæ.* Sine quorum igitur cura nemo ſibi proſpicere, & ſuæ ſalutis rationem habere poteſt, eorum etiam curam homo habere tenetur. Atqui niſi ſimul aliorum, cum quibus homo ſocietatem colit, commodis conſulat, homo ſibi ſatis proſpicere nequit, Ergò. vid. Ariſtot. *libr. 6. Ethic. cap. 9.* Idem in cæteris animantibus apparet, quædam enim ſtudium utilitatum ſuarum, partim fœtuum ſuorum, partim aliorum ſibi congenerum reſpectu temperant, quod procedit in illis, ex principio aliquo extrinſeco intelligente, Divus Thomas *in 1.2. quæſt. 1. artic. 2.* quod & de infantibus dicendum, in quibus elucet quædam propenſio ad benè aliis faciendum ante omnem diſciplinam. In homine verò perfectæ ætatis, qui circa ſimilia ſimiliter agere novit, ineſt appetitus civilis ſocietatis, cujus peculiare ſolus habet inter ani-

animantes inſtrumentum, nempè ſermonem, & ſic etiam huic ineſt facultas ſciendi, agendi ſecundũ generalia præcepta morum, cui, quæ conveniunt, ea humanæ naturæ ſunt congruentia. Hæc ſocietatis cuſtodia, conveniens humano intellectui, fons eſt juris, quod propriè appellatur jus naturale vel ſociale; Sicut igitur non poteſt dici ſtultus civis, qui ſequitur in Rep. jus civile, licet ob ejus reverentiam & obſervantiam, quædam utilia omittere debeat; ita etiam non poteſt dici ſtultus populus vel gens aliqua, quæ non tanti habet ſuas proprias utilitates, ut ideò negligat communia jura populorum & gentium, ſed potius prudens eſt, & prudenter agit: Par enim in utroque eſt ratio, imò etiam quantumvis ex obſervatione juris nulla ſpectaretur utilitas, non tamen eſſet ſtultitiæ, ſed potius ſapientiæ, eo ferri, ad quod natura ducente ferimur, & pro hac ſententia ſequens argumentum pono: Sine quo nulla communitas conſervari poteſt, ſine eo multò minus illa ſocietas, quæ totum genus humanum, aut complures populos inter ſe colligit, conſervari poterit. Atqui ſine jure nulla communitas conſervari poteſt, uti memorabili exemplo latronum, probat Ariſtot. Ergò. vid. Grot. *de I.B. & P. in prolegom. & in præfat. de mari libero.* Secundam objectionem Ariſt. ſæpè ipſiſſimis verbis proponit, *lib.* 1. *Nicom. cap.* 1. *& lib.* 5. *cap.* 10. & eſt levis armaturæ, quamvis enim nonnullæ gentes jus naturale rumpant, nihilo tamen magis illud jus mutatur, atque mel deſinit eſſe dulce, eò, quod corrupto ſenſui videatur amarum. Vid. Andron. Michael. Epheſ. Acciajol. & cæteros interpretes *ad cap.* 7. *lib.* 5. *Ethic.* & Ariſt. *lib.* 10. *Eth. cap.* 3. *& lib.* 1. *Magnor. Moral. cap.* 34. Grot. *de I.B. & P. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 12.

X V.

Quid verò ſit jus naturale, & quomodo definiatur, difficultate non caret, Ariſt. *lib.5. Eth. cap.7.* definit jus naturale, quod ubique vim eandem habet, ſed hæc definitio non eſt à Priori, ſed à Poſteriori, ideò enim, quia hoc eſt jus naturale, ſequitur, quòd eandem vim obtineat ubique, Grot. *de I.B. & P. lib.1. cap.1. n.*10. illud definivit, ***quod ſit dictatum rectæ rationis indicans, actui alicui, ex ejus convenientia aut disconvenientia cum ipſa natura rationali, ineſſe moralem turpitudinem aut neceſſitatem moralem, ac conſequenter ab autore naturæ, Deo, talem actum aut vetari aut præcipi***; ubi notandum, quod hic naturale ſumatur, non quatenus ſupernaturali, ſed arbitrario opponitur. Hujus juris naturalis principia, ſi modò animum rectè advertas, per ſe patent, atque evidentia ſunt, ferme ad modum eorum, quæ ſenſibus externis percipimus, qui & ipſi benè conformatis ſentiendi inſtrumentis, & ſi cætera neceſſaria adſunt, non fallunt. Et eſt unum quaſi primarium & generale præceptum, ex quo reliqua omnia dependent, nempe Bonum eſſe faciendum, Malum fugiendum. Sicut enim primum objectum intellectus eſt Ens, ita primum objectum voluntatis vel appetitus rationalis eſt Bonum, nam quicquid ab intellectu percipitur habet rationem Entis; ita etiam quicquid à voluntate appetitur, habet rationem Boni. Hinc ſicut primum principium ſpeculativum in intellectu fundatur in Ente: Sic etiam primum principium practicum, quo voluntas dirigitur, in Bono. Primum verò principium ſpeculativum, quod fundatur in Ente, eſt hoc; impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe,

ita

ita principium primum practicum, quod fundatur in Bono› eſt hoc; Bonum eſt faciendum, & Malum fugiendum: Ex hoc primo principio practico, tanquam ex aliquo fonte, proxime deducuntur alia præcepta juris naturalis, quæ ita poſſunt diſtingui: Quædam enim ſunt principia generalia morum, ut, quod tibi non vis fieri,&c. & ſimilia, de quibus nullum eſt dubium illa pertinere ad jus naturale: Alia verò ſunt principia magis particularia & determinata, quæ tamen per ſe ſunt ex terminis nota, ut Religio erga Deum, ut patriæ & parentibus obediamus,& ſimilia: In tertio ordine ſequuntur concluſiones, quæ ex principiis naturalibus per evidentem illationem inferuntur, & non niſi per aliquam argumentationem, vel diſcurſum cognoſci poſſunt; inter quas quædam facilius & à pluribus cognoſcuntur, E. G. quod Furtum, Adulterium, ſint naturâ turpia, & fugienda; Aliæ verò indigent majori diſcurſu & non niſi difficili aliqua argumentatione ex principiis naturalibus deducuntur, de quibus idem eſt ſtatuendum, quod hæ etiam ad jus naturale referri debeant, nam veritas principii in concluſione continetur, & quando prohibetur aliquid, neceſſariò etiam illud prohibetur, quod ex illo per neceſſariam conſequentiam ſequitur, Suarez *de Legibus lib.*1.*cap.*7.*per tot.* Grot.*de I.B.& P.lib.*2.*cap.*20.*n.*43. Actus verò, de quibus extat dictamen rectæ rationis, vel ſunt per ſe debiti, aut illiciti; indeque à Deo neceſſariò præcepti aut vetiti intelliguntur, & differt jus naturale à jure poſitivo, non tantum humano, verùm etiam divino, quia hoc non præcipit aut ea prohibet, quæ per ſe ac ſua natura debita ſunt, aut illicita, ſed vetando illicita, & præcipiendo debita facit, Grot. *de I.B.& P.lib.*1.*cap.*1.*n.*10. Dici tamen poteſt jus naturale e-

tiam

tiam divinum, licet è contra non omne jus divinum ſit naturale, Alexander Alenſis *part.3.quæſt.26.art.45.* Ludovic. Molina *de juſt. & jur. tract.1.diſp.3.* Alphonſus de Caſtro *lib.2. de lege pœnali.cap.4.* Obligatio enim juris naturalis fluit ex divina voluntate præcipiente, vel prohibente, tanquam ex cauſa proxima, ita tamen, ut ſimul ab objecto, tanquam à cauſa remota dependeat. Utrumque hoc jus naturale & divinum voluntarium, quatenus hoc opponitur naturali, fluit ex divina voluntate, ſed hoc ex voluntate libera Dei, quatenus liberum eſt, prohibere hunc actum, vel non, Naturale verò, ex voluntate Dei per actum neceſſarium promanat, quod enim per ſe ratione objecti intrinſecam habet turpitudinem, illud à Deo non poteſt non prohiberi, E contra, quod per ſe eſt bonum & faciendum, illud non poteſt non à Deo præcipi: adde Suarez. *de Legibus lib.2.cap.6.num.13.& lib.1.cap.3.* Illud hic obſervatu dignum eſt, quod ea, quæ jus naturale ſimpliciter vel præcipit vel prohibet, propriè ſint juris naturalis & ad ea vel facienda vel fugienda teneamur, illa verò quæ recta ratio, ut honeſta & laudabilia ſuadet, non verò præcipit, negativè & ſic impropriè ſaltem dici poſſint juris naturalis, unde illa conſequentia ſine reſtrictione aliqua non admittenda eſt, hoc eſt juſtum & laudabile, ſi fiat, Ergò ſi omittatur eſt injuſtum, poteſt enim inter naturâ juſtum & injuſtum dari aliquod medium, quod licet, ſed modo huic, modo illi parti propinquius, ita ut & fieri laudabiliter, & ſine turpitudine omitti poſſit; perinde, ut inter album & nigrum reperire eſt aliquod interpoſitum, ſive mixtum, ſive reductum utrinque. Et in hoc poſteriori genere occupari ſolent leges, tum divinæ, tum humanæ, id agendo, ut quod per ſe laudabile tantum erat, etiam deberi incipiat. Grot. *de I.B.& P.lib.1.c.2.n.1.& lib.2.c.23.n.1.*

Porrò

XVI.

Porrò jus naturale non de eis tantum agit, quæ exiſtunt citra humanam voluntatem, verùm etiam de multis, quæ conſequuntur actum humanæ voluntatis, ut jus naturale præcipit, fidem eſſe ſervandam in federibus, & pactionibus ex hypotheſi, & præſuppoſito actu humanæ voluntatis, qui eſt pactum vel contractus: Sic etiam dominium, quale nunc eſt in uſu, introduxit humana voluntas populorum vel gentium, Grot. *de I.B.& P.lib.2.cap.2.n.2.* Eo autem introducto, jus naturale prohibet auferre alteri dominium rei ſuæ. Grot. *de I.B.& P.lib.1.cap.1.n.10.& lib.2.c.14.n.8.& lib.3.cap.20.n.9.* In utroque genere iſtorum præceptorum eſt eadem neceſſitas, quo ad formalem rationem juris naturalis, & conſequenter eadem immutabilitas. Suarez *de Legibus lib.2.cap.14.num.7.* Illa controverſia hic inter Dd. valdè agitatur: An jus illud naturale ſit commune cum brutis animantibus? Quod nonnulli affirmant, inter quos Hugo de Roye *in tract. de eo quod juſtum l.1.t.2.* & Jacobus Mœſtertius noviſſimè *de juſtitia legum Romanarum.* Negantem verò ſententiam, uti veriorem, cum Grotio *de I.B.& P.l.1.c.1.n.11.* & Claud. Salmaſio *de Vſuris pag.240.& ſeqq.* Georgio Calixto *in epitom. Theol. moral. pag. 46.48.* amplector, quam probo hoc argumento: Quæcunque carent intellectu & libera agendi facultate, illa non poſſunt dici agere juſtè vel injuſtè: At bruta animalia carent intellectu, &c. E. & conſequenter actiones creaturæ rationalis, utpote quæ utraque facultate tantum, eſt prædita, propriè loquendo ſunt tantùm, juſtæ vel injuſtæ, non tamen omnes, ſed primariò & principaliter actiones voluntatis, ſecundariò acti-

ones animæ ſenſitivæ, quatenus ſunt aptæ natæ, ſubeſſe imperio rationis, licet enim in imaginatrice & appetitu inferiori ſint aliqui habitus, quibus perficiantur ad ſuas functiones, (aſſueſcunt enim ab intrinſeco obedire rationi & voluntati, & ad hoc faciles promptique redduntur & determinantur) tamen probabilius eſt, hos habitus non eſſe virtutes, ſed tantùm virtutum adumbrationes, quod ex eo confirmari poteſt, quòd in illis potentiis inferioribus non ſit libertas, unde earum actiones, per ſe liberæ non ſunt, nec laude dignæ ſed tantùm, quatenus ſubſunt motioni rationis & voluntatis. Cui verò actioni per ſe competit ratio virtutis, per ſe quoque maximè laude digna eſt, hoc enim eſt propria virtutis nota, præſertim ejus, quæ eſt in parte appetente. A priori ratio eſt, ſicut vis imaginatrix non poteſt attingere rationem veri, ſolido judicio diſcernendo verum à falſo, honeſtum à turpi: ita nec inferior appetitus rationem honeſti, amando præciſè, quia honeſtum & juſtum eſt, rectæque rationi conſentaneum & fugiendo, quia turpe & prohibitum. Non enim poteſt ferri extra proprium objectum, quod eſt, eſſe delectabile ſenſibus, vel commodum naturæ, præſcindendo in ordine ad rectam rationem, ex quibus cognoſci poteſt, quòd illæ actiones, quæ ab inferioribus potentiis promanant, per ſe non ſunt juſtæ vel injuſtæ, ſed ſaltem ſecundariò, quatenus ſunt aptæ, ſubeſſe imperio rectæ rationis; illæ denique actiones, quæ ſequuntur gradum animæ vegetativæ, & cum plantis ſunt communes, nullo modo ſunt participes rationis & conſequenter nec moraliter juſtæ vel injuſtæ, & hanc ſententiam, quod non ſit jus aliquod commune cum brutis animantibus, confirmat Ariſt. 5. *Eth cap.* 10. ex quo ita argumentor: Cum quibus nulla eſt communio civilis

civilis ſocietatis, cum eis non eſt communio juris. Atqui cum beſtiis non eſt communio ſocietatis. Ergò. ſunt quidem nonnulli actus, ut ſexuum conjunctio, fœtus educatio, tutela ſui, damni illati ultio, cum beſtiis communes, quatenus ex naturali inſtinctu & profluunt, & phyſicè conſiderantur, non verò quatenus ſub ratione honeſti ſunt faciendi, vel fugiendi, & ſic in genere morum. Hæc licet clara & perſpicua ſint, non deſunt tamen, quæ opponuntur: Quærere enim quis poteſt, quare in divinis ſcriptum ſit, Geneſ. 9. v. 5. Velle Deum Opt. Maxim. etiam in brutis vindicare ſanguinem hominis? Cur Omnipotens Legiſlator, Exod. 21. v. 28. 29. necari jubeat bovem cornupetem, ſi hominem occiderit. Cur præcipiat Lev. 20. v. 15. 16. interfici pecudem, quæ monſtroſa Venere cum homine commixta fuerit? Quæ fuerit Athenienſium ratio, ut juxta legem Draconis, judicium de cæde etiam in bruta aut res alias inanimes redderent? ſed reſpondeo, quod propriè non ſit pœna, quando lege Moſis beſtia ob concubitum cum homine occiditur, ſed uſus dominii humani in beſtiam. Quæ enim propriè non poſſunt delinquere, in iis non habet locum pœna. Atqui beſtiæ propriè non poſſunt dici delinquere. Ergò, Ratio majoris, quia pœna, utpote malum paſſionis involvit eſſentialem reſpectum ad malum actionis exercitæ vel omiſſæ, vid. Grot. *de Iur. Bell. & Pac. lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 11. Selden. *de Iur. Natur. Gent. juxta diſciplinam Hebræorum libr.* 1. *cap.* 4. Poteſt & illud dici, ideò bruta & res inanimes damnari, ut intelligant homines, quantopere à cædibus ſit abſtinendum, vel cum Auguſtino *in cap. mulier.* 15. *quæſt.* 1. Homines quidem propter malum puniri, bruta verò non propter malum, ſed oculis hominum & conſpectui ſubduci, ne contaminata nefario flagitio, turpiſsimi facti memoriam refri-

F 2 cant

cant mortalibus, idem de rebus, animâ carentibus, dici poteſt: His rationibus defenduntur illi judices, quos ut Guid. Papa refert *quæſt.* 238. porcum ad laqueum damnaſſe, quod puerum devoraſſet, cujus judicii & Rebuffus meminit *ad Conſtit. Reg. gloſſ.* 5.*n.*46. Item illi, qui canes cujusdam villici ob fraterculum Franciſcanum diſcerptum, morti adjudicarunt, inter quos judices ſe fuiſſe Ant. Mornacius teſtatur *in l.* 1. *ff. ſi quis paup. fec.* Equæ etiam ob monſtroſam libidinem caput amputatum, meminit Clarus 5. *ſent. §. fin. quæſt.* 99. *n.* 8. Mulum ob eandem cauſam ignibus abſumptum, Ranchinus notat *ad d. quæſt. Guid. Papæ.* Saxones quoque olim jumentum puniviſſe, cui mulier rapta impoſita fuerat, teſtatur Daniel Mollerus 3. *ſemeſt.* 7. *n.* 6. vid. Anton. Matthæi *de crimin. in prolegom. cap.* 2. *pag.* 21. 22. Reliqua argumenta refutavit Seldenus *in tract. de I. Nat. Gent. juxta diſciplinam Hebræorum, lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 5. Eſſe autem aliquid juris naturalis, dupliciter probari ſolet (1) à Priori, (2) à Poſteriori: A priori ſi probetur convenientia, aut disconvenientia Rei alicujus cum natura rationali ac ſociali; A poſteriori verò colligitur probabiliter eſſe juris naturalis hoc modo; Quod obſervatur apud omnes gentes moratiores, illud eſt juris naturalis: Ratio conſequentiæ eſt; Ubi ponitur effectus univerſalis, ibi neceſſum eſt, dari cauſam univerſalem. At poſita obſervantia omnium Gentium moratiorum, ponitur effectus univerſalis, Ergò debet hic dari quædam cauſa univerſalis, quæ hac in quæſtione alia eſſe non poteſt, quàm aut recta illatio ex naturæ principiis procedens, aut communis aliquis conſenſus; illa jus naturæ indicat. Hic verò jus Gentium, quorum diſcrimen ex materiæ qualitate eſt intelligendum, quod enim ex certis principiis

rectæ

rectæ rationis, certa argumentatione deduci non poteſt, & tamen ubique obſervatum apparet, illud ex libera voluntate Populorum & Gentium ortum habet: Eſt autem jus naturale adeò immutabile, ut ne à Deo quidem mutari poſſit; Sicut ergò illud, ut bis duo non ſint quatuor, ne quidem à Deo poteſt effici, ita etiam, quod ex intrinſeca ratione eſt malum, malum non ſit: Nam ut Eſſe rerum, poſtquam ſunt, & ſi qua ſunt, aliunde non pendet: ita etiam proprietates, quæ neceſſariò illud eſſe conſequuntur; At talis eſt malitia quorundam actuum, quatenus hi comparantur ad naturam ſanâ ratione utentem, Suarez *de Legibus lib.2.cap.5.n.2.& 4.& cap.6. num.11.* Grot. *de I.B.& P.lib.1.cap.1.n.10.*

XVII.

Diſtinximus ſupra jus in naturale & poſitivum ſive voluntarium, hoc eſt, quod ex voluntate originem ducit, quæ voluntas vel eſt Divina, vel Humana: Hinc jus voluntarium eſt vel Humanum, vel Divinum. Nos ſaltem agemus de jure voluntario humano, quod eſt juxta Grot. *de I.B.& P.d.cap.1. n.13.& ſeq.* vel civile vel latius patens vel arctius: Civile eſt, quod à civili poteſtate, quæ in Republica habet civile & independens imperium, promanat; jus verò arctius patens, & ab ipſa civili poteſtate non veniens, quanquam ei ſubditum, varium eſt, præcepta patria, dominica, & ſi qua ſunt ſimilia in ſe continens. Latius autem patens eſt jus gentium, Germanicè Aller Völcker Recht / quod Gentium omnium aut multarum voluntate vim obligandi accepit, & pertinet ad mutuam Gentium inter ſe ſocietatem, Dico multarum voluntate, quia vix ullum jus reperitur extra jus naturale, omnibus Gentibus

commune. Grot. *d. cap. 1. n. 14.* Imo ſæpè in una parte orbis terrarum eſt jus gentium, quod alibi non eſt, uti de captivitate & poſtliminio tradit idem Grot. *de I. B. & P. lib. 3. cap. 7. n. 8. & cap. 7. n. 8. & cap. 9. n. 19.* vid. Suarez. *de Legibus lib. 2 cap. 20. num. 1.* & quia hoc jus gentium voluntarium fluit partim ex expreſſa, partim tacita pactione populorum, & pertinet ad mutuam gentium inter ſe ſocietatem, ab uno populo reliquis inconſultis mutari nequit, â quo differt jus civile plurium gentium diſtributim, quod ad cujusque populi tranquillitatem pertinet, & ab una gente ſine conſenſu aliorum mutari poteſt, Seldenus *de Mari clauſo cap. 9.* Grot. *d. I. B. & P. lib. 2. c. 8. n. 1. & 26. & l. 2. c. 3. n. 5.* In Republica Hebræorum jus Gentium erat, quod ex imperio, ſeu pacto & conſuetudine interveniente Hebræis cum aliis Gentibus non tamen univerſis, nec ſemper commune habebatur, ut in Contractibus, Nuptiis, Servitute, Fœderibus, proſelytorum admiſſione, Captivis & tributis. Selden. *de Iur. Nat. Gent. juxta diſciplin. Hebræor. in prolegom.* Illud hic moveri poteſt. An jus Gentium voluntarium inter leges propriè dictas referri poſſit? quod negamus hoc argumento moti: Quod jus â voluntate Supremi Imperantis non habet ſuum Eſſe, & obligandi facultatem, ſed mutuò conſenſui populorum originem debet, illud non eſt propriè lex. Atqui jus Gentium â voluntate Supremi Imperantis non habet, &c. Ergò. Major inde probatur, quia de ratione legis eſt, ut jubeatur in civili ſocietate, ab eo, qui ſupremum & independens imperium in Republica habet, qualis eſt Deus Ter Opt. in magna hac ſocietate, quæ genus humanum & omnes populos inter ſe colligat, in ſingulis verò reſtrictioribus, pro forma cujusque Reipubl. vel Princeps, vel Optimates, vel Popu-

lus:

jus: Minor negari nequit. Nam ſi lex Gentium data eſt, vel eſt data à Deo, vel ab omnibus Gentibus. Atqui non eſt data à Deo, quod enim jus ex divina voluntate ortum habet; illud eſt Jus divinum voluntarium, Grot. *de I.B.& P. lib.*1.*cap.*1.*num.*14. Nec ab omnibus gentibus, nam quod jus apud omnes Populos & Gentes obtinet, illud eſt à natura, non verò ex voluntate Populorum & Gentium, Grot. *d.cap.*1.*n.*13. Manet ergò, quod jus Gentium à voluntate quorundam Populorum, qui collectim nullam univerſitatem conſtituunt, ſed ſinguli inter ſe privatorum loco ſunt; vim obligandi acceperit; vis argumenti eo recidit, ut aut omnia omnium pacta, quibus ſe privatim ſibi invicem obligant, leges dicenda ſint, aut Gentium lex dicenda non ſit, ratio enim differentiæ dari nequit. Quia verò hæc appellatio uſu ſit recepta, & obligare etiam aliquid poſſit, tanquam pactum, quod ab initio voluntatis, poſtea verò neceſſitatis eſt, nolumus gentium legis appellationi quicquam derogare, aut à trito modo loquendi diſcedere, Conring. *diſp. de Legibus num.*25. Quare autem Gentes neceſſitate exigente jura quædam peculiaria conſtituerint, ratio hæc dari poteſt, quia humanum genus, licet in varias gentes & populos ſit diviſum, ſemper adhuc retinet unitatem aliquam, quaſi politicam & moralem, quam indicat naturalis lex & præceptum mutui amoris, quæ lex ad omnes extenditur etiam extraneos, unde licet unaquæque civitas vel populus in ſe ſit perfecta communitas, & ſuis membris conſtans, nihilominus tamen quælibet earũ, eſt membrum ſive pars reſpectu totius generis humani. Nunquam enim aliqua communitas adeò eſt perfecta, & ſibi ſufficiens, quin indigeat auxilio & ſocietate aliorum, interdum ad melius eſſe, & majorem utilitatem, interdum

dum ob moralem neceſſitatem & indigentiam. Hinc Populi & Gentes indigent aliquo jure, quo dirigantur ad ſervandam hanc ſocietatem, quod quidem magna ex parte fieri poteſt per jus naturale, non tamen in omnibus ſufficienter. Ideoque aliqua jura ſpecialia uſu multorum Populorum & Gentium introducta ſunt. Sicut enim in civitate vel provincia conſuetudo habet vim & effectum legis: ita etiam inter Populos & Gentes jura quædam gentium ſunt producta uſu & moribus, vid. Suarez. *de Legibus lib.2.cap.19.n.9.* Quomodo verò jus Gentium voluntarium differat à jure naturali, non eſt una opinio Doctorum. Nonnulli ſtatuunt, jus gentium habere intrinſecam neceſſitatem in ſuis præceptis, & ſolum differre à jure naturali, quòd hoc jus naturale ſine diſcurſu vel facilimo diſcurſu innoteſcat: jus Gentium verò per plures illationes & difficiliores colligatur, ſed hanc differentiam meritò rejicimus, multa enim ſunt & dicuntur propriè juris Gentium voluntarii, quæ non habent intrinſecam neceſſitatem: Ut diviſio bonorum & ſervitus: & falſum, quòd jus Gentium ex principiis rectæ rationis per neceſſariam argumentationem deduci poſſit, nam quod ex libera voluntate, vel conſenſu gentium ortum habet, illud ex principiis naturæ neceſſariâ conſequentiâ deduci nequit, Atqui jus Gentium liberâ voluntate, vel conſenſu gentium ortum habet. Ergò. Unde rectè dicitur jus Gentium poſitivum vel voluntarium. Aliqui dicunt, quòd jus naturale contineat concluſiones ita neceſſàrias, ut nulla facta ſuppoſitione humanæ ſocietatis vel voluntatis, ſequantur ex principiis naturæ per neceſſariam conſequentiam, & has non ſpectare ad jus Gentium poſitivum. Eſſe verò etiam alias concluſiones, quæ quidem ex principiis rectæ rationis

tionis deduci poſſunt per neceſſariam conſequentiam, ſed non abſolutè, ſed ſuppoſitâ humanâ ſocietate, & has concluſiones conſtituere jus Gentium. Verùm enim verò nec ex eo poteſt peti vera diſtinctio juris Naturalis à jure Gentium voluntario, multa enim præcipit jus naturale, quæ non obligant, niſi facta ſuppoſitione aliquâ, Sic prohibitio illa juris naturalis, ne quis auferat alteri dominium rei ſuæ, non obligat, niſi introducto prius dominio, vel facta diviſione bonorum, Grot. *de I.B. & P. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 10. Præceptum juris naturalis, ut fidem ſervemus in contractibus, non habet locum, niſi ex præſuppoſito actu humanæ volũtatis, qui eſt conventio, & plura alia afferri poſſent, quæ tamen ſine controverſia ad jus naturale referri debent: Ex quibus ita inferri poteſt. In quibus eſt neceſſaria convenientia vel disconvenientia cum natura rationali ac ſociali, illa jure naturali vel præcipiuntur vel prohibentur, Grot. *de I.B.l.* 1. *cap.* 1. *n.* 12. Atqui in multis, quæ non niſi facta ſuppoſitione humanæ voluntatis locum habent, eſt talis convenientia vel diſconvenientia, cum natura rationali ac ſociali, ut eſt alieni abſtinentia, Grot. *de I.B.l.* 1. *c.* 1. *n.* 10. & ſi quid alieni habeamus, aut lucri inde fecerimus, reſtitutio, Grot. *d. I.B. l.* 2. *c.* 10. *n.* 1. 2 promiſſorum implendorum obligatio. Grot. *de I.B. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 1. *& ſeq.* damni culpa dati reparatio, Grot. *de I.B. & P. lib* 2. *cap.* 17. & pœnæ inter homines meritum, Grot. *de I.B. & P. lib.* 2. *cap.* 20. Ergò hæc ad jus naturale vel ſociale propriè pertinent. Et quod concluſio ſequatur ex principiis rectæ rationis facta ſuppoſitione hujus vel illius materiæ, aut ſtatus hominum, exinde formalis ratio legis naturalis, quæ conſiſtit in neceſſaria convenientia, aut diſconvenientia cum natura rationali ac ſociali, non poteſt mutari. Nos itaque ſtatuimus, quod jus Gentium non contineat prima principia rectæ

G ratio-

gentium adhuc locum habeat, ſi res ſit cum gente tam barbara, ut ſine indictione aut cauſa omnes externos & res eorum hoſtiliter tractare pro jure habeat, ut in ſummo Auditorio Parienſi judicatum, refert Grot. *d. I. B. & P. lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 19. Denique hæc differentia dari poteſt, quòd cum omnibus hominibus, cum quibus eſt ſocietas rationis & ſermonis, ſit communio juris naturalis, indeque etiam piratæ, latrones & prædones propter illam ſocietatem rationis & ſermonis communionem habeant juris naturalis, ex quo fluit, quòd fides illis data ſit ſervanda, Grot. *de I. B. & P. lib.* 3. *cap* 19. *num.* 1. 2. qui tamen non habent ſpecialem illam communionem, quam inter hoſtes in bello ſolenni & pleno introduxit jus gentium, & conſequenter jure gentium voluntario niti non poſſunt, vid. Grot. *de I. B. & P. lib.* 3. *d. cap.* 19. *n.* 2. *& lib.* 2. *c.* 18. *n.* 2. qui rectè monet *lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 2. quòd non ſtatim Reſpublica aut civitas eſſe deſinat, ſi quid admittat injuſtum, etiam communiter, nec cœtus piratarum aut latronum civitas ſit, etiamſi fortè æqualitatem quandam inter ſe ſervent, ſine quâ nullus cœtus poſſit conſiſtere, quia hi criminis cauſa ſociantur, illi verò, etſi interdum delicto non vacant juris tamen fruendi cauſa ſociati ſunt, & exteris jus reddunt, ſi non per omnia ſecundum jus naturæ, quod apud multos populos ex parte quaſi obliteratum eſt, ut oſtendit Grot. *d. I. B. & P. lib.* 2. *c.* 15. *n.* 5. certè ſecundum pacta cum quibusque inita, aut ſecundum mores. Hoc jus gentium uſu exigente & humanis neceſſitatibus à gentibus eſt introductum, & potuerunt ſine dubio gentes communi quodam conſenſu multa conſtituere præter naturam, contra naturam verò nihil, uti apparet in dominio, quod, ſi ſolum jus naturale ſpectemus, non datur, niſi in eo qui ratione utitur,

ſed jus gentium ob utilitatem communem introduxit, ut infantes & furioſi dominia accipere & retinere poſſent, perſonam illorum quaſi ſuſtinente humano genere, quod tamen dominium conſenſu gentium humanius viventium introductum ſtat intra actum primum, nec ad actum ſecundum, ut loquuntur ſcholæ, poteſt pertingere: id ad jus habendi, non ad perſe utendi jus pertinet. Grot. *de I.B. & P. lib.1. c.3.n.24. lib.2.c.3.n.6.& lib.2.c.5.n.2.* Franciſc. Vict. *relectione de Indis. n.*21.22. Leonard. Leſſius *de juſt. & jur. lib.2.cap.4.dub.2.* ſic etiam mero naturæ jure ex facto alieno nemo tenetur, niſi qui bonorum ſucceſſor eſt, ut enim cum oneribus bona tranſierint, ſimul cum dominis rerum introductum eſt, Grot. *de I.B. & P. lib.2.cap.21.n.19.* Hinc tituli in Cod. Juris Romani: Ne uxor pro marito, ne maritus pro uxore, ne filius pro patre, ne pater vel mater pro filio conveniantur, jure tamen gentium voluntario inductum apparet, ut pro eo, quod debet præſtare civilis ſocietas, aut ejus caput, ſive per ſe primo, ſive quod alieno debito jus non reddendo ſe quoque obſtrinxerit, pro eo teneantur & obligata ſint bona omnia corporalia & incorporalia eorum, qui tali ſocietati aut capiti ſubſunt, Nec hoc ita naturæ repugnat, ut non more & tacito conſenſu induci potuerit, Grot. *d. I.B. & P. lib.3.c.2.n.1.2.* Sicut & alia multa ex conſenſu gentium propter communem hominum in civili ſocietate viventium utilitatem & neceſſitatem ſunt conſtituta, quę omnia Hugo de Roye *de eo quod juſtum lib.1.tit.4. in fin.* ad duo capita refert, rerum diviſionem, & ſontium punitionem, ſed hæc ſine dubio eſt juris naturalis, quod enim Hugo Grot. *d. I.B. & P. lib.2. cap.20.* probare nititur, naturam non tam præcipere, ut delinquentes puniantur, quàm non vetare, quo

minus

minus id fiat, illa ſententia à vero quàm longiſſimè abeſt, videſis Anton. Matth. *de Criminibus lib.* 48. *tit.* 19. *c.* 5. *n.* 2. ubi argumenta Grotii ſuppreſſo quamvis nomine, doctè refutavit, ut verò eo melius intelligi poſſit, quænam ex jure gentium voluntario ortum ducunt, ita dicendum eſſe arbitramur. Jus gentium interdum addit aliquid juri naturali, interdum verò detrahit, addit 1. conſtituendo quædam, ut magis adſtringantur cives ad juris naturæ præcepta ſervanda; quo pertinent nonnulli gradus prohibiti, *l.* 5. §. 1. *de condict ſin. cauſ. l.* 8. *l.* 14. §. 2. *l.* 39. §. 1. *l.* 42. *pr. d. R. N.* Moſes Majemonides Doct. *perplex. part.* 3. *c.* 49. 2. determinando, quæ jure naturali ſunt indefinita, unde fluunt jura dominiorum, Grot. *de I. B. & P. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 1. *& ſeq. lib.* 2. *c.* 8. *& de Mari libero. cap.* 5. & jura contractuum *l.* 5. *ff. de juſt. & jur.* Seldenus *de mari clauſ. lib.* 1. *c.* 3. Claudius Salmaſius *de Vſuris cap.* 9. 3. actui ex jure naturali provenienti certam formam præſcribendo, qua non obſervata effectus peculiares juris gentium non ſequuntur, quomodo interpretandum cenſet, Grot. *de I. B. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 4. quod Hermogenianus *in l.* 5. *ff. de juſt. & jur.* dicit jure gentium bella eſſe orta, nempe, ut certa bellorum forma à jure gentium ſit introducta, quam formam quæ habeant bella, ea peculiares ex jure gentium effectus conſequantur, unde diſtinctio nata eſt in bellum ſolenne juris gentium, quod juſtum & plenum dicitur, & non ſolenne. Ut verò bellum ſolenne ſit ex jure gentium duo requiruntur; primum ut geratur utrinque auctore eo, qui ſummam poteſtatem habeat in civitate: Deinde, ut & publicè decretum ſit, & quidem ita decretum publicè, ut ejus rei ſignificatio ab altera partium alteri facta ſit, Grot. *de I. B. & P. lib.* 1. *c.* 3. *n.* 4. *& lib.* 3. *c.* 3. *n.* 5. *qui n.* 6. accuratè

diſtinguit, quæ jure naturæ debentur, & quæ naturâ non debentur, ſed honeſta ſunt, quæ jure gentium requiruntur ad effectus juris gentium proprios, & quæ præterea ex peculiaribus populorum quorundam inſtitutis veniunt, jus naturæ non præcipit, ut denunciatio belli fiat, honeſtè tamen & laudabiliter illa interponitur, jure verò gentium illa requiritur ad effectus juris gentium proprios. Porrò detrahit jus gentium juri naturali, non quidem præcipiendo, quod in ſe & naturâ ſuâ turpè & prohibitum eſt, ſed 1. non adſiſtendo juri naturæ, quatenus ex ratione politica effectus peculiares denegat, huc pertinet, quod jus gentium bello, in quo non eſt obſervata certa bellorum forma, licet æqua ſubſit cauſa, non adſiſtat, Grot. *de I.B.& P.lib.1.cap.2.n.4.* nec effectus ex jure gentium peculiares non conſequantur. 2. vel permittendo nonnulla, quæ jure naturali ſunt prohibita, Grot. *de I.B.& P.lib.3.c.4.l.3.c.14.n.2.& lib.3.c.10.n.1.* jure enim gentium multa dicuntur licere eo, quod impunè fiant, partim etiam, quod judicia coactiva ſuam illis auctoritatem accommodent, quæ aut exorbitent â recti regula, ſive illa in jure ſtrictè dicto, ſive in aliarum virtutum præcepto poſita eſt, aut certè omittantur ſanctius, & cum majori apud bonos laude. Quo ſenſu in bello jure gentium multa impunè fieri poſſunt, quæ quantumvis vitio non carentia, quoad effectus tamen pro juſtis habentur, hoc modo etiam bellum juſtum utrinque dari poſſe probat, Grot. *de I.B.& P.lib.2.c.23.n.13.* Exemplum eſt in metu belli, jure naturali, qui intulit promittenti metum injuſtum, tenetur ad liberandum promiſſorem, ſi promiſſor velit ob damnum injuria datum, Grot. *de I.B.& P.lib.2.c.11.n.7.* jure verò gentium, ſicut introductum eſt, ut omnia bella auctoritate ſummæ poteſtatis

utrinque

utrinque geſta & indicta, pro juſtis habeantur, quoad effectus externos, ita & hoc, ut quæ in bello ſolenni, aut ejus finiendi cauſa promittuntur, adeò ſint valida, ut ex cauſa metus injuſtè illati non poſſint in irritum reddi, invito eo, cui ſunt promiſſa, quod ni id placuiſſet, bellis talibus, quæ valdè ſunt frequentia, nec modus, nec finis potuiſſet imponi; quod tamen fieri intereſt humani generis, Grot. *de I.B.& P. lib.2.cap.17.n.19.lib.3.cap.19.n.11.& cap.23.n.2.* Deinde detrahit jus gentium juri naturali naturalem libertatem reſtringendo, huc referri poteſt jus legationum, quòd jure gentium legati ſint inviolabiles, jus naturale quidem patitur, pœnas exigi, ubi reperitur, qui deliquit, jus gentium verò legatos, & qui his ſimiles fide publica veniunt, excipit, quare, ut rei fiant legati, eſt contra jus gentium, Grot. *de I.B.& P.lib.2.c.18.n.4.* quo alia multa ex communi quodam conſenſu vetari potuerunt, quæ jus naturæ permittit, uti probat itidem Grot. *d.I.B.& P.lib.2.c.3.num.10.* ſic etiam quem interficere licet, gladio, an veneno quis interimat, nihil intereſt, ſi jus naturæ reſpiciamus, at jus gentium, ſi non omnium, certè meliorum jam olim eſt, ne hoſtem veneno interficere liceat, qui conſenſus ortus eſt ex reſpectu communis utilitatis, ne pericula in bellis, quæ crebra eſſe cœperant, nimium intenderentur, Grot. *de Iur.Bell.& P. lib.3.cap.4.num.15.*

XVIII.

Supereſt, ut agamus de lege civili, quæ à civili poteſtate proficiſcitur, hæc civilis poteſtas eſt, quæ civitati præeſt, vel in Republica civile & independens imperium habet, quod definivit Grot. *de I.B.& P.lib.1.c.3.n.7.* cujus actus alterius juri non

ſubſunt,

ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti poſſunt reddi, & ſumitur hic imperium non pro jure, ut ſumit Grotius *de Iur. B. & P. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 6. ſed intelligitur perſona, aut cœtus, cui imperium ſit in populo ſolius Dei imperio ſubditum, id verò quod imperat ſummo imperio debet eſſe unum, ſi non naturâ ſaltem inſtituto, repugnat enim naturæ ipſius ſummitatis, quoties vox illa non negativo tantum, ſed & affirmativo ſignificatu ſumitur, in uno populo duas eſſe ſummas poteſtates, quo argumento Deorum multitudinem ſancti Patres oppugnant, quia quod ſummum eſt, idem niſi unum eſſe non poſſit. Et hoc verum eſſe effectibus demonſtratur, ex quibus rerum moralium natura cognoſcitur. Effectus imperii ſunt obligatio & coactio, ſi igitur plures eſſent ſummi imperantes, ut plures, poſſent eſſe imperata contraria, aut contrarietatem implicantia, At contraria aut obligatio, aut coactio circa idem naturæ rerum repugnat, uti hoc probat Grot. *de imp. ſummar. poteſt. circ. ſacra cap.* 1. *n.* 2 3. qui igitur in Republica habet ſummum & independens imperium ille habet facultatem jura condendi, vel abrogandi. Accipitur lex civilis vel latè pro omni jure, quod in civili ſocietate obtinet, cujus juris Ariſtotel. 5. *Ethic. c.* 10. duas ſpecies facit, naturale & legitimum, vel ſtrictè & magis propriè, prout à jure naturali diſtinguitur, quomodo Ariſtot. 1. *Rhet. c.* 10. 13. legem propriam à lege communi diſtinguit. Natura harum legum civilium in duobus potiſſimum conſiſtit, quorum unum habet rationem materiæ, alterum rationem formæ, illud eſt, quod ab initio nihil refert, & ſe habet indifferenter, hoc verò eſt voluntas humana (à qua dicitur jus voluntarium, Grot. *de I. B. & P. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 13.) non quælibet, ſed illius, qui in civili ſocietate ſummum

ſummum imperium habet, per hoc enim voluntas imperantis, quoties legem aliquam ferre intendit, habet ſuam efficaciam & operationem, ut actum jure naturali & divino indifferentem præcipiendo debitum, vel vetando illicitum reddat, voluntas verò Supremi imperantis non prius actu ſe legis cauſam præbet formalem, quàm expreſsâ oratione imperativa. Obligatio legis civilis ex eo fluit, quòd qui ſe cœtui alicui aggregaverunt, aut homini hominibusque ſubjecerunt, hi aut expreſsè promiſerint, aut ex natura negotii tacitè promiſiſſe intelligantur ſecuturos ſe id, quod aut cœtus major pars, aut hi, quibus delata poteſtas eſt, conſtituerint, Grot. *de I.B. & P. in prolegom. & de Imp. ſummar. poteſt. circa ſacra cap. 4. num. 6.* quæ tacita promiſſio dici poteſt cauſa remota legis, cauſa verò ſimpliciter proxima eſt voluntas ſummæ majeſtatis oratione imperativa expreſſa, à qua ſicuti eſſentia legis, ita & obligatio legis dependet. Libera quidem eſt voluntas Supremi Imperantis ante legem latam, an velit lege poſitiva obligare ſubditos, poſtquam verò lex eſt lata, non eſt amplius in arbitrio & voluntate illius, ut ſubditi non obligentur, quamdiu lex non fuit revocata, involvit enim contradictionem, ferri legem, quæ vi obligandi careat, Joſeph. Gibalin. *de Uſuris & Commerciis lib. 3. cap. 2. n. 8.* Quod igitur vult & imperat in Republica Summa Majeſtas, nec juri naturali vel divino repugnat, ad illud jure naturali cives obligantur, Grot. *de I. B. & P. in prolegom.* Atqui, quod præcipit vel prohibet lex poſitiva, hoc vult in Republica ſumma Majeſtas. Ergo. Dixi, nec juri naturali vel divino repugnat, quia illi actus, qui juri naturali aut divino repugnant, ad jus imperantis non pertinent, Grot. *de imper. ſummar. poteſt. circa ſ. cr. a. cap. 3. n. 5.* ubi diſtinguit in-

ter imperii actum, qui ſubditum ad agendum movet, & inter vim, quæ eo nomine alicui intentatur, ille actus effectu ſuo, hoc eſt, obligatione caret, hæc verò vis effectum habet, non tantum Phyſicum, ſed & moralem, non ex parte agentis, ſed patientis, hunc ſcilicet, ut eam vim repellere non liceat, vid. Grot. *de I.B.& P. lib.1.cap.4.*

XIX.

Definiri poteſt lex civilis, quod ſit oratio imperans, quid fieri in civitate, quidve omitti debeat, conformis voluntati Majeſtatis, voluntas hic attenditur conſideratione ejus, quod cum ſuâ naturâ non ſit determinatum ipſa ad alterutrum oppoſitorum determinavit, objectum enim legis civilis propriè ſunt actiones, quæ jure naturali & divino indefinitæ & in utramvis partem liberæ manſerunt, vid. Ariſtot. *lib.5. Ethic c.10.* quòd verum eſt, ſi talem duntaxat actum ſpectemus imperii, qui actionem ipſam intrinſecus immutet, cùm enim illa, & quæ fieri debent & illicita ſunt, determinata ſint, eoq́; immutabilia quoad moralem bonitatem vel malitiam, ſequitur unicam talis mutationis materiam eſſe actiones indefinitas, quia verò hæc, quæ aut fieri oportet, aut quæ fieri non oportet, ſunt capacia extrinſecæ mutationis, eamque ab humano imperio poſſunt accipere, manifeſtum eſt, eadem humano imperio ſubjacere, Hæc ſi lege lata à ſumma majeſtate præcipiantur, vel prohibeantur, oritur ex humano imperio in conſcientia nova quædam obligatio, quanquam minoris gradus, nam lex divina Decalogi dicens Non Occides, Non Furaberis, & quæ ſequuntur, non ſolum declarat jus naturale, vid. Grot. *de I.B.& P. lib.1.c.2.n.5.* ſed ipſo præcepto novam obligationem

nem addit, ita ut contrafaciens non eo tantùm peccet, quod committat actum naturâ & intrinſecè turpem, verùm etiam quod vetitum, quod verò locum habet in lege divina Decalogi, idem in lege humana idem præcipiente obtinet, proportione tamen ſervata, Grot. *d. Imp. ſummar. pot. circ. ſacra. c. 3. n. 4.*

X X.

Hæc lex civilis reſpicit utilitatem peculiarem cujusdam Reipublicæ, propter quam juri Naturali & Gentium aliquid addit vel detrahit: Addit verò primò conſtituendo nonnulla, ut cives in Republica magis ad obſervantiam juris Naturalis & Gentium adſtringantur, ad quod referri debent in jure Civ. Roman. prohibitiones ulteriores graduum, & ſolennitates in matrimoniis, & quod jure civili eſt conſtitutum, ut quædam nuptiæ, quia conſenſus patris deficit, irritæ ſint, *l. 11. ff. de ſtatu hominum*, quod non eſt ex natura, ſed juris conditorum voluntate, Grot. *de I. B. & P. lib. 2. cap. 5. num.* 10. & *ad Evangeliſt. cap. 22. Matth. n.* 30. Secundo determinando, quæ jure naturali ſunt indefinita & indeterminata, ut pleraque occurrunt in jure civil. Roman. Eorum verò, quæ ſunt indifferentia, non eſt eadem conditio: Quædam enim ſunt ſimpliciter talia, in quibus nihil, quod neceſſitatem moralem in ſe continet, involvitur, quædam verò tantùm ſecundum quid, quæ præter id, quod indifferens eſt, neceſſarium quid vel involvunt, vel præſupponunt:, ut ſunt actus vitioſi, delicta, in quibus hoc, quòd delicta ſint punienda, & quòd pœna debeat eſſe æqualis delicto, eſt neceſſarium, & fluit ex jure naturali præcipiente. At verò, quâ pœnâ, quo ad ſpeciem, delicta ſint punienda, hoc eſt indifferens, & à voluntate Legislatoris determinatur, nam

quidam exiſtimant homicidio naturaliter reſpondere capitis pœnam, in eo falluntur. Pœnæ enim delictorum non ſunt ipſo naturæ jure, aut ulla Dei perpetua lege conſtitutæ, ſed pro modo inde imminentis periculi intendi ac remitti ſolent, ut docet Grot. *ad Evangeliſt. pag.* 125. ſic etiam in jure uſucapionis, quod ex jure naturali, vel potius jure gentium voluntario fluit, vid. Grot. *de I.B. & P. lib.* 2. *cap.* 4. Conring. *de Imp. Germ. cap.* 5. *& de finib. Imp. Germ. pag.* 360. lege civili certum tempus pro ratione rerum definitum eſt, quo dominia rerum poteſtate legis transferuntur, in qua determinatione nulla alia dari poteſt ratio, quàm voluntas Legislatoris, Petrus Heigius *lib.* 1. *quæſt.* 16. *n.* 13. *& ſeq.* Jus naturale dictitat ſimpliciter & indeterminatè, liberos ſuccedere parentibus, *l. cum ratio ff. de bonis damnat. l. ſcripto. ff. unde liberi.* Grot. *de I.B. & P. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 5. jus verò civile ſupervenit & determinat, quomodo & in quas partes ſuccedere debeant, hinc rectè de determinatione legitimæ M. Anton. Cuchus *tract. de legit. pr. n.* 7. ait, *quòd tertia potius, quàm quarta vel dimidia ejus, quod quis ab inteſtato fuiſſet conſecuturus, debeatur, id nihil ad jus naturæ ſpectat, ſed ad jus poſitivum duntaxat refertur.* Tertio addit jus civile juri naturali, actus ex jure naturali vel gentium promanantes, in uſum Reipubl. ita informando, ut illis certam formam addat, quâ non obſervatâ actus ſit nullus, *l.* 5. *C. de legibus.* Suarez *de legibus lib.* 5. *cap.* 20. *lib.* 1. *cap.* 23. Cùm enim jus Naturale vel Gentium illos actus ſaltem in genere definiat, non verò in particulari determinet, quomodo quis poſſit & debeat de rebus ſuis diſponere, hinc lex civilis juri Naturali vel Gentium aliquid addit, ut in teſtamento jure civ. Roman. ſeptem teſtes pro forma eſſentiali requiruntur, cum aliàs inſpe-

ćto mero jure Naturali vel Gentium, ſepoſitâ lege civili poſitiva, duo vel tres ſufficerent, Suarez *de Legibus lib.5.cap.*20. Deinde lex civilis detrahit juri naturali non quidem præcipiendo, quod jus naturale prohibet, & prohibendo, quod jus naturale præcipit. Hactenus enim jus naturale eſt immutabile, ſed ſaltem primo non aſſiſtendo, quatenus nempe effectus propter impedimentum legis civilis poſitivæ impeditur, ſic inſpecto jure naturali, filiusfamilias ex mutuo propter conſenſum obligatur, lex verò civilis poſitiva impedimentum facit, quo minus illa naturalis obligatio in foro externo effectum conſequatur, & ſic actum ſecundum impedit, Joſeph Gibalin *de uſuris, commerciis, &c. lib.1.cap.5.art.2.conſect.* 4. Item mulier intercedens pro alio jure naturali obligatur, ut probat Molina *de juſt. & jur. diſp.*540.*num.*2. Leſſius *de juſt. & jur. lib.5. cap.*28.*dub.*2.*n.*14. Johannes de Lugo *de juſt. & jur. diſp.*32.*ſect.*1.§.1.*n.*4.& 11. jure verò civili poſitivo propter impedimentum legis civilis poſitivæ efficaciter non tenetur: Ex nuda conventione inſpecto jure naturali, obligatio oritur, Grot. *de Jur. Bell. & Pac. lib.*2.*cap.*11.*n.*1.*& ſeq.* ubi refutat argumenta Connani, contrarium ſtatuentis, lege poſitivâ civili ex nudo pacto actio non datur: Unde Giphanius nuda pacta idem valere dixit, quod verba aulica. Eſt quidem juris naturalis, ut quis datam fidem in promiſſionibus ſervet; modus verò promittendi & obligandi jure naturali ſimpliciter non eſt definitus, ſed dependet ex arbitrio Supremi imperantis vel legiſlatoris, vid. *Covarruv. ad C. quamvis de pactis in 6to.part.2.c.4.n.6.* quæ determinatio vel fit per rationem inditam omnibus hominibus per jus Gentium, quo jure juxta præcepta juris naturalis omnes conventiones à ſcientibus & volentibus liberè factæ

rè factæ obligant vel ſecundum proprium hujus vel illius Reipublicæ uſum, qui præter naturalem æquitatem reſpicit utilitatem civitatis & civium, argumento *l.6.ff.de juſt.& jur.* Cum igitur Romani Legumlatores exiſtimaverint, quòd in Repub. varia dubia & lites immortales oriri poſſent, ſi quælibet promiſſio firmam obligandi vím haberet, ſancitum eſt lege civili poſitiva, ut in Republica Romana non omnis promiſſio efficaciter obliget, ſed illa tantùm, quæ fines & terminos nudæ conventionis excedit, *l.6.& 7.ff.de Pactis.* Ex hoc verò malè infertur: Ergò jure civili alterum licet fallere, non enim lege civili ſancitur, fidem non eſſe ſervandam, nec permittitur dolus, ut quis dolosè quid promittat, ſed ſaltem huic modo promittendi & obligandi denegat lex civilis poſitiva obligationem & actionem civilem, & imputari debet alteri paciſcentium, quòd non adhibuerit talem modum promittendi & obligandi, qui in Republica Romana eſt efficax, nec fides promiſſorum moratur jus & poteſtatem ſupremi imperantis, quando illa vel impoſſibilia aut injuſta quædam continet, aut quando ex illis exactio iniqua vel Reipublicæ incommoda foret: Fides enim civium eſt ſub jure imperii, quatenus igitur pacta & promiſſa dependent à jure ſupremi imperantis, eſt in poteſtate illorum, quatenus à nobis debeat ſervari fides in pactis, quæ exerceri poteſt dupliciter à ſumma Majeſtate, vel in perſonam promittentis, prohibendo fidem dari, & vetando, ne impleatur, vel in perſonam ejus, cui datur, tollendo jus, quod ei partum eſt, ut & vetando, ne aliquid inde accipiat quod fieri poteſt duobus modis, ſive in pœnam, ſive ob publicam utilitatem ex vi dominii ſupereminentis, Grot. *de I.B.& P. lib. 2. cap.13.n.20.* Ex his rationibus defendi poteſt noviſſima Imperii Con-

rii Conſtitutio, quâ miſeris debitoribus ſuccurritur, vide Dn. Mevium in *diſcuſſione levam. inopiæ debit. cap.2. n.65. & ſeqq.* Sic etiam ex ratione civili vis coactrix ſubtrahitur conventionibus innominatis, & datur pœnitendi facultas, ante implementum, ita ut ſola fide contrahentium ſtent, Grot. *de I.B. & P. lib.2. cap.12. n.3.* quamvis ex illis naturalis obligatio oriatur, Johan. à Salas *de Camb. dub.1. ſub fin.* diſcrimina enim contractuum nominatorum, & innominatorum jus naturale ignorat, nec hæ leges civiles ſunt abrogandæ, ut ſtatuit Molina *de juſt. & jur. tr.2. diſp.258. n.9.* Secundò detrahit lex poſitiva Roman. juri naturali, permittendo nonnulla, quæ jus naturale prohibet, non quidem, quod lex civilis poſitiva illa probet, ſed ſaltem cujusque conſcientiæ permittat: Occurrit exemplum in læſione infra dimidium, Grot. *de I.B. & P. lib.2. cap.12. n.12.* Hoc eſt quod Pompon. ait *in l. in cauſæ cognit. 16. §.4. ff. de min.* in pretio venditionis & emptionis naturaliter licere ſe mutuò circumvenire, ubi vocabulum licere eſt non quidem fas eſſe, ſed ita permitti, ut nullum ſit proditum remedium in eum, qui ſe pacto velit defendere, cujus juris introducendi evidens fuit utilitas, ad præcidendas infinitas controverſias, & ob incerta rerum pretia inter eos, qui comunem judicem non habent, inexplicabiles, quæ vitari non poterant, ſi ob inæqualitatem à pactis diſcedere licuiſſet, Grot. *d. cap. n.26.* & Mantica *de tacit. & ambig. convent. l.4. tit.20. n.53. & multis ſeqq.* Plura alia permittunt leges civiles in Republ; jure naturali non repugnante, licet enim non ſint facienda mala, ut eveniant bona, poſſunt tamen à ſupremo imperante juſtè quædam mala permitti ad vitanda majora incommoda, & hæc permittens non concurrit ad malum, ut cauſa phyſica vel moralis, Joſeph

Gibalin.

Gibalin, *de uſuris & cambiis lib.1. cap.9. art.3. n.2.* nec eſt permiſſio plena, quæ jus dat ad aliquid omninò licitè agendum, ſed ſaltem minor plena, quæ dat tantùm apud homines impunitatem, hoc argumento defendi poſſunt leges Romanorum, quæ concedunt concubinatum, *t.t.ff. & C. de Concubinis.* & licentiam, marito, adulterum vilis conditionis domi ſuæ deprehenſum, occidendi, *Novel. 117. c. 15. Authent. ſi quis. C. de adult. in conſtit. criminal. Carol. V. art.* 142. Petrus Sarpus *de jure Aſyl. c.5.* Molina *de juſt. & jure tom.4. tract.3. diſp. 99. pr.* Layman. *Theol. mor. l.3. tract.3. P.3. c.2.* Grot. *de I.B. & P. lib.2. c.20. n.17.* licet illas à finibus Chriſtianorum relegandas & exterminandas eſſe ſtatuat Benedict. Ægidius *tract. de jure & privil. honeſt. art.6. num.27. & ſeq.* & Bachovius *ad VVeſenbec. tit. de adult. num.* 20. pietati Chriſtianæ minimè convenire dicat. Et juſtitia legum civilium probari poteſt, quòd præſcriptione temporis crimina extinguantur, nam ſicuti in civilibus cauſis præſcriptio temporis neceſſaria viſa eſt, ut eſſet aliquis litium finis, nec cives ſemper incerti de dominio rerum ſuarum; ita etiam eadem neceſſaria viſa eſt in criminibus, ut eſſet aliquis accuſationum finis, nec incertâ ſpe & expectatione penderent, qui criminis alicujus inſimulantur. Eſt verò in criminibus longiſſimi temporis præſcriptio XX. annorum, quâ omnia crimina extinguantur, quæ nominatim ſpatio brevioris temporis non ſunt coarctata, *l.12. C. ad leg. Cornel. de falſis. l.2.3. ff. de req. reis. vel abſ. damn. l.1. 5. praeſcr. 10. & §. ſequent. ff. de jur. fiſci.* Breviori tempore perimitur adulterium & ſtuprum: nimirum quinquennio, *l.5. l.28. C. ad Leg. Iul. de adult. l.29. §. ſex menſium & ſeq. ff. eod. l.1. §. accuſationem. ff. ad SC. Turpil. Peculatus l.7. ff. ad Leg. Iul. pecul.* accuſatio

tio quæ deſcendit ex SC. Silaniano *l.* 13. *ff. de SC. Silan.* vide Anton. Matthæi *de criminibus lib.* 48. *tit.* 19. *cap.* 4. Denique lex civilis poſitiva detrahit juri naturali libertatem naturalem ob Reipublicæ commodum reſtringendo, licet enim in iis, quæ jus naturæ vetat aut præcipit, lege civili nihil in contratiū poſſit conſtitui, poſſunt tamen illa, quæ jure naturæ licent tantum & propriè non ſunt juris naturæ, ſed extra jus naturæ reſtringi, vetari & præcipi, Grot. *d. I. B. l.* 1. *c.* 2. *n.* 5. Non n. dubito, poſſe non repugnante naturâ eum, qui pecuniæ uſu in gratiam alterius caret, viciſſim eo nomine aliquid paciſci, dictat enim natura, non teneri quenquam prodeſſe alteri cum detrimento ſuo, At is, qui pecunia ad tempus caret in gratiam alterius, poterat eam in agros aut domos impendere, ac medii temporis percipere fructus, quos ſi quis dicat incertos, illud ipſum tamen incertum, ut omnis alea, ſuum habet pretium, ita ut vendi quoque ſoleat, Grot. *ad Evangeliſt. pag.* 685. *& ſeqq. & de I. B. & P. lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 20. Salmaſius *in tract. de uſuris.* Ne verò uſurarum nomine creditores plus æquo exigant, lege poſitiva certa quantitas pro regionum & populorum diverſitate definienda eſt, ut ex noviſſima Imperii Conſtitutione ultra quincunces nil quidquam uſurarum nomine indulgetur, & legibus Romanorum uſuræ ex optimis rationibus ita ſunt reſtrictæ, ne uſuræ ultra alterum tantum exigantur, quæ prohibitio extat non modo in reſponſis JCtorum *l.* 26. §. 1. *ff. de Condict. indebit. l.* 4. *§.* 1. *ff. d. Naut. fœn. l.* 9. *ff. de uſuris l.* 13. §. 26. *ff. de act. emt. l.* 4. *§.* 8. *ff. de evict.* ſed etiam in reſcriptis & ſanctionibus Impp. *l.* 10. *l.* 27. *§.* 1. *C. de uſuris. Novel.* 121. *cap.* 1. 2. *Novel.* 138. *Novel.* 160. vid. Dn. Otton. Tabor. *in tract. de altero tanto,* quia verò hæc reſtrictio uſurarum non eſt ex natura, ſed juris conditorum voluntate, ideò illa contrariâ obſervantiâ vel

 conſue-

conſuetudine tolli poteſt. Porrò jure naturali quisq; rem ſuam alienare poteſt non pure modo, ſed & ſub conditione, nec tantum irrevocabiliter, ſed & revocabiliter, Grot. *de I.B.& P.lib.* 2.*cap*.7.*n*.14. lege poſitiva interdum fit ut domini res ſuas alienare prohibeantur *tot.tit.Inſt.quibus alienare non licet.* quod impedimentum legis civilis non tollit naturam dominii, ſed ſolum ejus actum ſecundum, ſeu operationem Leonard. Leſſius *de juſt.& jur.lib*.2.*cap*.3.*num*.9. Sic etiam jure naturali feræ beſtiæ captæ fiunt capientis, *§*.12.*Inſt.d.R.D.& A.R.D.* Selden. *de I.nat.junct.diſcipl.Hebr.c*.4. poteſt v. ab illo, qui imperium habet in terras & aquas, lege lata prohiberi, ne feras, piſces, aves, capere & capiendo acquirere liceat, Grot. *de I.B.& P. lib.* 2.*cap*.8.*n*.5.*& lib*.2.*c*.2.*n*.5. Modeſt. Piſtor. *vol*.2.*conſil*.14.*q*.2.*n*. 23. Ex jure naturali fluit libertas matrimonia ambiendi & contrahendi apud vicinas gentes: lege verò Romanorum, prohibentur nuptiæ cum peregrinis, quoad effectus ſpeciales, qui in Republica obtinent, quo ſenſu cives Romani tantum juſtas nuptias contrahere dicuntur, *in pr.Inſt.de Nuptiis.* Grot. *de I.B.& P.lib*.2.*cap*.2.*n*.21.*& lib*.1.*cap*.3.*n*.4. inter ſervum & ancillam quoque jure Romano contubernium dicitur, cum tamen jure naturali inſpecto. ad ipſam conjugii naturam nihil deſit in tali conſociatione, etiamſi effectus quidam legis civilis non ſequantur, aut alioqui ſponte ſecuturi lege impediantur, Grot. *d.Iur.B.lib*.2.*cap*.5.*num*.15. Jure naturali licet populo cum alia gente paciſci, ut hæc certi generis fructus, qui alibi non naſcuntur, ſibi ſoli res vendat, ſi is qui emit, populus paratus ſit aliis vendere æquo pretio, aliarum enim gentium non intereſt, à quo emant, quod ad deſideria naturæ attinet, lege

tamen

tamen civili poſitiva talis emptio propter publicam utilitatem prohiberi poteſt,quo pertinet ſaluberrima conſtitutio, *l.un.C. de Monopoliis*. Grot. *de I.B.& P. lib.*2. *cap.*2.*n.*24. *lib.*2. *cap.*12. *n.*16. Leſſius *de juſt.& j.l.*2.*c.*21.*dub.*21. Denique luſus jure naturali prohibitus non videtur, Covarruv. *thom.*1.*part.*2.*relect. ad caput peccatum de R.I.in VIto* §.4.*n.*1.*& ſeqq.* Joh.Dicaſtillo *de juſt.& jur.lib.*2.*tit.*18.*diſp.*1.*&* 2. Ob nimium tamen abuſum & rationes politicas lege poſitiva prohibetur vel certis limitibus circumſcribitur *l.*2.*C.de Aleatoribus*, quod & in Republica Hebræorum factum eſſe tradit Seldenus *de I. N. & G. juxta diſciplinam Hebræorum l.*6.*c.*11. Plura quidem exempla ex J.Rom. afferri poſſent, quæ omnia nunc recenſere ſuperſedebimus. Hæ leges civiles ſunt juſtæ ex hypotheſi, quatenus ita publica utilitas exigit, Ariſt. hoc nominat δικαιοσύνην πρὸς τὴν πολιτείαν 5. *Polit.* 9. Politici rationem ſtatus vocant, cujus fundamentum eſt apud Ariſt.3.*Polit.*6. JCti Romani hoc nominant jus ſingulare, quod *in l.*16.*ff.de L L.* deſcribunt, & pertinent huc textus elegantes in *l.*51. *§.ult. ff.ad Leg. Aquil. l.*43. *ff.de relig.& ſumt.fun.l.*35.*ff.eod.* & habet hic locum illud Taciti : *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publica rependitur*, 14.*Annal.*

X X I.

In legibus Romanorum, cùm pleraque omnia, quæ determinationem ſummæ Majeſtatis recipiunt, ita ſapientiſſimè ſunt definita, ut aliis etiam Rebuspublicis ſatis commodè poſſint applicari, illud jus non ſolum in noſtro Imperio, verum etiam in aliis Europæ terris receptum eſt, & apud omnes ferè Gentes magnam habet authoritatem, uti exotici ſcriptores

ultro

ultro fatentur. Cornutus Epiſcopus Viburgenſis *in præfat. comment. in jus Danicum.* Lipskius *in obſervat. ad jus Polon.* Loccenius *in ſynopſ. juris Suedici*, Covvel & Zoucheus *in inſtit. & element. juris Anglici.* Uſum hujus juris & authoritatem in omnium chriſtianorum Principum Dominiis integro opere monſtravit Arthurus Duck, Anglus, add. Johan de Dicaſtillo *de juſt. & jur. præfat. & l. 2. tract. 2. diſp. 5. dub. 8. n. 156.* jus enim noſtrum à Juſtiniano compoſitum conſtat non ſolum jure poſitivo, ſed eſt collectum ex præceptis naturalibus gentium & civilibus; *l. 1. §. 2. de juſt. & jur. §. ult. Inſtit. eod.* in quo ſæpius ipſius juris naturalis præcepta inculcantur, & pleraque juri gentium conveniunt, & ſunt deducta ex naturali æquitate. Matthias Stephani leges Romanas tam eleganter cum divinis conſentire ait, ut Romanos Legislatores in divinas leges commentatos fuiſſe videri poſſit, imò revera commentatos eſſe eo colligi poteſt, quod illi ſuas leges à Græcis, (quos ab Hebræis, quaſi de manu in manus leges ſuas accepiſſe ex Zeppero *de Legibus Moſaic. l. 1. c. 3.* & Selden. *de Iur. Nat. Gent. & C. ſec. diſciplin. Hebræor.* notat Ciprianus Regneri *Cenſur. Belgic ad* §. 10. *in fin. Inſtit. de I. N. Gent. & Civil.*) acceperint, Grot. *de ver. Religion. Chriſtian. pag.* 213. *& in flor. ſparſion. tit. ſi quadrup. pauperiem feciſſe dicatur. pag.* 124. ubi probat illa ex jure civili Hebræorum *Exod.* 21. ad Phœnicas veniſſe; & certum eſt, jure naturali Noachidarum Gentiles, ad pauperiem reſarciendam non teneri, Hugo de Roye *de eo quod juſtum lib. 2. tit. 3. pag.* 147. Grot. *de Iur. B. & P. lib. 2. cap.* 17. *num.* 21. Leſſius *de juſt. & jur. lib. 2. cap. 9. dub.* 17. Molin. *de juſt. & jur. tract. 2. diſp.* 713. *n. 3. n. 6.* ſicut igitur propter ſingularem prudentiam & æquitatem naturalem illud jus Juſtinia-

neum

neum ab aliis populis, deficientibus juribus patriis & domeſti-
cis eſt receptum & approbatum, uti de Gallia præclare ſcribit Carolus Molinæus *in Pariſ. Conſuetud. tit. 1. gl. 1. n. 110.* ita etiam ob eximiam prudentiam & artem, quæ in illis Romanorum legibus continetur, conſenſu ſaltem tacito Imperatorum & ſtatuum Imperii in ſcholas Germanicas, & exinde in fora Imperii Germanici illud jus initio ſeculi XV. ſenſim receptum eſt, Hermann. Conring, *de Orig. juris German. cap. 32.* Videtur præterea hoc jus expreſſo Imperatorum ac Imperii ſtatuum approbatum, ex quo in ordinatione Judicii Cameralis, imperante Maximiliano in fine ſeculi XV. inſtituti, Aſſeſſoribus juramento ipſis præſcripto fuit injunctum, ut ſecundum jura communia, nach des Reichs gemeinen Rechten/ per quæ absque dubio jura Romana intelliguntur, judicent, vid. Chriſtoph. Lehman. Speyer. Chronic. *l. 4. c. 21.* Maximilianus II. *in Receſſ. Imperii VVormat. de An. 1495. ibi:* Demnach Kayſer Juſtinianus unſer Vorfahr im Reich/ zu mehrer Nachfolgung/ und Ehre Gottes/ und der Menſchen Heil/ die Geſätzen (loquitur de blaſphemis) männiglichen zu halten/ ernſtlich ermahnet/ und ſtrengiglich geboten hat / in aliis Imperii Conſtitutionibus juris communis appellatione venit, *Ordin. Cam. de An.* 1500. §. Ordnen/ſetzen/ verb. Nach laut gemeiner beſchriebenen Käyſerlichen Rechten/ *Conſtit. Maximiliani Anno* 1502. §. Und nach dem von gemeinen Rechten. *Receſſ. Spirenſ. de Anno* 1529. ubi pro jure communi omnes obligante, allegatur, *l. 2. C. de ſanct. Baptiſm. & l. 5. C. de Apoſtatis.* Ordin. Cam. de Anno 155 part. 1. tit. 13. §. 1. verb. Auff des Reichs gemeine

notum, quod de cauſis & negotiis privatorum agit, in Germania majorem authoritatem habere, quàm jus publicum Romanum, quod habetur in libris tribus poſterioribus Codidicis, licet enim leges privatæ cum ſtatu Reipublicæ aliquam convenientiam habeant, uti hoc ſolidè probat Ariſtoteles, non tamen tantam, quanta eſt in Legibus publicis, quæ ipſum ſtatum Reipublicæ concernunt & conſervant, nec leges publicæ Romanæ, uti privatæ in Imperio Germanico ſunt receptæ. Nec dubito, illa quæ de negotiis civium Romani JCti ex principiis rectæ rationis & juris naturalis demonſtrarunt, omnibus formis Rerumpublicarum convenire, exceptis illis, quæ ſunt merè juris poſitivi, ſic n. naturam modorum acquirendi, contractuum varietatem, differentias, juſtitiam adeò accuratè tradiderunt, ita ut ſi quid eruditionis & ſapientiæ humanæ in ullo monumento continetur, quod ad artem & prudentiam juris facere videtur, illud in legibus Romanorum contineri, etſi aliquid certi de eis omnibus tradi potuerit, in illis haberi ſtatuamus, vid. Grot. *de I. B. & Pac. lib. 2. c. 12. n. 13.* Moſes Majmonides *lib. 3. Ductor. dubitantium. cap.* 42. de jure Romano graviter B. Lutherus ad Pſalm. 101. fol. 106. ita loquitur : Ich halte dafür / wann jetzt alle Juriſten in einen Kuchen gebacken / und alle Weiſen in einen Tranck gebrauen würden / ſie ſollen nicht allein die Sachen und Händel ungefaſt laſſen / ſondern auch nicht ſo wol davon reden noch dencken können / quod ſecus ſe habet in legibus publicis Romanorum, unde qui hodierni Imperatoris noſtri poteſtatem ad tenorem obſoletæ legis Regiæ perpendunt & æſtimant, non modo operam & oleum inutiliter conſumunt, ſed etiam perinde faciunt, atque

Cervino capiti cervicem pictor equinam,
Jungere ſi velit.

Fri-

Frideric Hortleder *de lege Regia apud Gold. ap. in polit. Imp. part.* 12. eleganter hoc exprimit Aut. der Donawertiſchen Information *pag.* 12. Daß ipſa Reipublicæ forma nicht auß den Lateiniſchen Rechten/ oder Bartolo und Baldo, ſondern vielmehr aus des Reichs löblichen Herkommen / und daher rührenden alten Verfaſſungen aus der güldenen Bull / Käiſer- und Königlichen Capitulationen, des Reichs Abſchieden und Conſtitutionen zu nehmen / vid. Carpzovium *de Lege German. cap. 1. ſection. 14. n. 19. 20. 21.* Etſi Respublica noſtra publicis illis legibus Romanorum tenetur obedire, cauſa obligationis erit, vel quòd leges illæ ejus ſint juſtitiæ, ut eas non obſervare injuſtum ſit, vel quod ſponte illæ à nobis ſint receptæ, vel denique, quòd iſtæ leges nobis ſint præſcriptæ, ab iis, quibus refragari nefas ſit, At verò nulla harum cauſarum hic locum obtinet, quiá pleræque illarum legum ex arbitrio & voluntate promanant, & ex conſtituto vim atque authoritatem ſuam habent, & in univerſum de Reipublicæ adminiſtratione natura pauca ſanxit, ſed illam humanæ prudentiæ & libertati reliquit, imò nec illud temerè quis affirmaverit, illam formam Reipublicæ, quæ tempore Juſtiniani Imp. obtinuit, aut eſſe optimam, aut convenire noſtris moribus. Nec hoc probari poteſt, quòd leges illas publicas noſtra Respublica approbaverit, multò minus, quòd Germania noſtra obſtringatur illis legibus, ideò quòd à Romanis ſint latæ, orbis terrarum dominis, vid. Grot. *de I.B. & P. lib. 2. cap. 22. n. 13.* Conring. *in præfat. in Tacit. de morib. German. & Apolog. contra Tabor.* quæ igitur leges non

obligant. Atqui tales ſunt leges publicæ Juſtinianeæ, Ergò, interim tamen non negamus, juris publici Juſtinianei plurimis caſibus adhuc magnam eſſe in foro utilitatem, Dn. Hahnius *diſputat.1.de jure forenſ.th.*18.

XXII.

Poſtquam de fine, objecto, & principiis juris prudentiæ actum eſt, nunc explicanda ſunt media, per quæ finis ille obtineri, & in ſubjectum introduci debet, Media iſta ſunt duo, Cognitio juris, quod eſt applicandum ad facta ſingularia, *l.1.§.1. ff.d.juſt.& jur.* Cognoſcimus autem quid cujusque ſit tum ex perſonis, quatenus ſcil hæ in certa conditione civili ſunt conſtitutæ, tum ex rebus. Deinde juris legitimè obtinendi ratio, quæ eſt perſecutio judicialis, hic quidem animus fuit ex genuinis principiis demonſtrare, quodnam cujusque ſit jus tum ratione perſonarum, tum ratione rerum, & quæ ſit natura ſingularum actionum, ſed quia ea tractatui potius ſcribendo, quàm diſputationi inſerviunt, hæc impræſentiarum ex vaſto Jurisprudentiæ noſtræ pelago contraxiſſe ſufficiat. Quod ſi cuipiam non omnia videbuntur ex Apollinis Tripode dicta, ille moneat, corrigat; moniti meliora ſequemur.

Gratiæ DEO immortali immortales ſunto;
Seculorum ſeculis!

Ad Præſtantiſs. Dn. Reſpondentem,

FUcata multi jura tradidiſſe ardent,
Techuisq́; fruſtrari bonos, & incautos.
Aſt Tu Themiſtos Gloria, & Decus Phœbi,
Quid ſancta, quidve *Vera Iura* ſint, pandis,
Queîs veriusvè ſanctiusvê nil quicquam.
Sic ſcilicet præludit altæ anus charta
Famæ, quæ ut indies ſerenior, ſaxit
Numen, ſequatur, ac ovans tandem
Tuum tiarâ cingat occiput rubrâ!

In honorem Præſtantiſsimi & Literatiſsimi Dn. Reſpondentis, Convictoris & Amici Sinceriſsimi Scazontes hos apponebat

Heinrich Bergman/J.U.Ddus.

SCAZON.

QVis ille mente maſcula, auſibus pulchris
Has melleas & delicatulas haſce
Theſes propinat? quas nec ipſe Bachovi
Vocare Genius filias reluctetur.
Magni Parentis degener nihil fili
SCHEFFERE, radians Haſsicæ juventutis

Lucem minaris? ſed novamne? vix auſim
Novam vocare; quin ita eſto correctum!
Quam dat Pater, quam Patruus dedit lucem,
Quam Avus, Proavus, Abavus, Atavus, & inde ultra
Illa Haſſiæ aſtra dedere, tu perennabis,
Si te volet Deus, (& volet!) perennare.
Sic promiconda hæc ſpiritus polo pleni
Me dicere jubet charta: Quam indolis teſtes
Hic cerno voces! abſonum nihil quicquam,
Bardum nihil, crudumque ſemiconcoctum,
Nec frigus hic merum (ut videre contingit)
Meraque febres; Mella pura ſtillantur,
Nectar merum hic rorat, mera venuſtates.
Adeſte Cuncti, adeſte, quotquot Aſtræam
Videre nudam avetis! Ora mentemque,
Oculosque caſtos, lucidos tamen ferte!
Procul, procul profani abeſte, grex blenna!
SCHEFFERUS, En! Eburneum Dea collum,
Oculosque ſolis æmulos, & os quale
Deam decebat indice digito monſtrat.
Deam videte quaſo, ut Aureo vultu
SCHEFFERO inhæret, vix memor ſui ipſius!
Ut hic Deam vultu tuetur immoto,
Vitam quaſi haud ex ſe ſed ex ea ducens!
Quid ſuſpicer? Nihil lates, amas, imo
Aſtræa, amas, SCHEFFERE, amas! O Par pulcrum!
Huc Conjugales Dî Deæque feſtino
Celerate curſu! Quò (malum!) rapior, amens!
Primoribus jam jam Thalaſsio labris

Mihi

Mihi innatabat; Hocne Diſputaturo
Eſt gratulari? Vota Vota promenda
Diverſa planè nuptialibus votis;
Iam promo: ſed papyrus illa votorum
Et incapax, capacius cor hoc fidum

Tui
O Amicum Pectus
fidiſsimi

Anthon Lucii.

WEil nur zwo Mittel ſeyn allhie auff dieſer Erden/
Dadurch man bey der Welt kan hoch erhaben werden;
Als Waffen und die Kunſt; So thut ihr wol daran/
Herr Scheffer/daß ihr ſucht das Beſte/ſo euch kan
Nicht fehlen/weil ihr ſtets den Büchern thut anhangen/
Worauß man bloß die Kunſt und Weißheit kan erlangen.
Daß dieſes von euch wahr/beweiſt das wahre Recht/
So öffentlich von euch anitzo wird verfecht;
Dem lebet immer nach/ſo wirds euch glücklich gehen/
Und werdet für der Welt und Gott gar wol beſtehen.
Nu fahret alſo fort/wie ihr gefangen an/
Es wird gewiß auß euch entſtehen ſolch ein Mann/
Der ſeinem Vaterland/und Gott wird dienen können/
Ja jederman wird euch viel Ruhm und Ehre gönnen.

Chriſtoff Moritz von Wolſerſingen.

Itzt eben/ da er will gelahrte Kriege führen/
Da führet mich mein Glück zurück an dieſen Ort;
Zwar/ mir iſt wol bewuſt/ was ſich hie will gebühren/
Was ſol ich aber thun? ich muß zu ſchleunig fort/
Doch ſol man mein Gemüht aus dieſem Wunſche ſpühren:
Der Himmel leit ihn hin in den gewünſchten Port!
Ihm ſcheinen immerdar der Helenen Gebrüder!
Kein Sturm/ kein Wind/ kein Meer ſei ſeinem Schiff zu-
wider! *&c.*

Mit flüchtiger Feder im Durchreiſen ſeinem ver-
trauten Freunde geſetzt von

Johan Chriſtoff Ungefugk.

E R R A T A.

P.37.lin.18.leg.*colligat*. p.41.lin.16. p.52.lin.25.p.68.lin.25.leg.*Hugo de Roy*. p.42.lin.11.leg.*illa per ſe*. p.44.lin.1.leg.*refricent*.lin.2.dele *ut*. p.47.lin.12. leg.*aut gentium jus lex dicenda*,&c. p.48.lin.22.leg *ex libera*. p.52.lin.12. leg. *dominiis*. p.54.lin.14.leg.*peculiares conſequatur*. p.56.lin.2. leg.*poſſint*. p.60.lin.1.leg *quod quidam*. p.66 lin.26.dele *res*. pag.67.lin.5.leg. *tom*. p 69.lin.8.leg.*de Orig.Iur*. p.71.lin.1.leg.*Goldaſt*. Graviora hæc ſunt, leviora quæ ſuperant, monitu non videbantur neceſſaria, utrisque benevolus lector veniam largietur.